



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


# **Venatio Sacra. Sive Puer Amissus**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**


---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)





Ph. 5853.

Phosphor sive J. Bagot.









B  
B  
B  
B

177.

agi-  
na,  
um,  
um,  
ro-  
elij  
um  
eco  
Do-  
ri-  
07A.



VENATIO SACRA,  
SIVE  
PUER AMISSUS.

AUCTORE  
R. P. Balduino Cabilliavo  
Iprensi. Societis I E S V.



LOVANY  
Typis Cornely Coenesteny.  
Anno M.D.CXLII.  
Cum Privilegio.

LEX. A. FORNEN

BEROH. INV. FEC.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.

## Emblematis explicatio.

1. Sol cum Iehoua.
2. Aquila suspicit:
3. Pullum unum soli  
obuertit;
4. Alterum repellit.
5. Pulsus pullus fugit  
in desertum,
6. Cum ramulo è ce-  
dro.
7. In nubecula super  
cedrum parua  
aquila.
8. Cedrus in quâ aqûi-  
la nidum struxit.
9. In Monte
10. Quercus.

Deus.

Abraham, pater fidelium,  
Isaacum Deo consecrat,  
& fide imbuit.

Ismaëlem impium, vel  
saltem non aequè piuum  
In Arabiam pellit;

Spe generis Abrahamij  
propagandi.

Ismaëlita siue Saraceni  
ex eo prognati, gens  
numerofissima, aequè  
ac perniciosissima Ro-  
manis aquilis.

Sedes Abrahae in agris ad  
Quercum Mambre.

In montanis apud He-  
bron ad conuallem  
Mambre;

Ad quam habitat Abra-  
ham;

)( ij

Pulsa

Pulsa domo sero mille nepotes.

Q Vã Syris Hebron viret alta cedris,  
Ignipes ales virides superbis  
Hic domum ramis struit, in quietum  
Pacis asylum.

Consult Solem, teneroque pullum (a)  
Vngue suspendens, iubet irretortis  
Hauriat flammam oculis, nec vllus  
Lippiat imber.

Sin is imbelli genero siorem  
Indolem temnit genio, fugitque  
Igneum sidus, pater hunc parentis  
Abdicat vsu.

Qui parens claris aquilis alumnum  
Hic an imbellem ferat, vt columbam  
Degener partus violat deceri  
Stemma parentis.

Ille desertas petit exsul oras,  
Quã cedri frondent Arabis arenis.  
Sepiet densã latus hic coronã  
Turba nepotum.

N O T Æ.

(a) Aquila pullos suos ad solem explorat : cuius  
acies palpitat, eum abicit. August.

(b) Aquila apud Ezechielem dicitur accepisse  
medullam Cedri, eam alibi vt transferat.

AD

AD LECTOREM.

**H**Æc Agar, quæ hæctenus  
 in sua solitudine, ut dece-  
 bat exsulem, ignota delituerat,  
 Et cui porrò delitescere mens ad-  
 huc erat; nescio qui factum sit, ut  
 nunc alium in Europâ quàm olim  
 in Arabiâ solè desideret intueri:  
 nec amplius feras inter Et barba-  
 ros Saracenos conqueri, sed in  
 erudito Philologorû theatro tra-  
 gicas sibi exsuliæ arumnas (ut gar-  
 rulus est sexus minor) maluerit  
 deplorare. Ideoque uti olim ipsa  
 inuita domo Abraha pulsa exsu-  
 latum abiit: sic iam contrà ipsa  
 volens, me quamuis nolente, ma-  
 nu mitti voluerit, Et suis è late-  
 bris effugerit. Quid ita? si quæras?

( iij Latine

Latinè loquar & dicam (ut meus  
est mos) rotundè quod res est. Mi-  
bi vetus intercedit amicitia cum  
viro erudito, qui licet Theologus,  
tamè amaniorum litterarum stu-  
dio trahitur, ijsque subinde gra-  
uiores inter curas animum oble-  
ctat suum: quicum ob beneficio-  
rum copiam, nec possim, nec de-  
beam nudo dumtaxat verborum  
certare officio. Illi hoc opusculum  
(fateor leuicense munus) cen-  
qualem qualem amicitia antiqua  
tesseram transmisi. Quamuis &  
illa ipsa tessera, quid nisi verba?  
sed verba, quibus sinceri amoris  
intexta imago subluceat. Ille vero  
ut eo quo misi animo, id est opti-  
mo, accepit, è suo exsilio ià dudum  
plus satis diu surdis latebris in so-

lem & lucē publicā reuocandam  
palam censuit: ut omnes Agarī e  
solitudine querelas audirēt, ideo-  
que ijs, penes quos est potestas, cō-  
mendauit. Quid agerem? egōne  
tam amici viri consilio, quod mihi  
sit imperium, meum opponerem iu-  
diciū? nefas, & amicitia id le-  
gibus inimicum. Quare volens  
volenti animo admisi, quod mihi  
eius prudentia, & eruditio facile  
persuadebat. Sed memineris Le-  
ctor, non hic expectandam melle  
& sesamo sparsam orationem, ut-  
pote in exsilio è lacrymis expres-  
sam. Quis enim è tenui viatico &  
aqua utrede, quibus Abrahā sua  
Agarī & Ismaëli maligna ex-  
suly solatiola, & morientis amoris  
parca pignora subministravit, laus.

tum epularū apparatus & siculas  
mensas exspectet? Si tamen haec  
dico verborum delicia, sed exsulis  
amarulenta lacryma salivam mo-  
ueant; erit fortassis, ut alias, qua  
magis sint ad publicum gustum, tū  
materia dignitate nobiliora, tum  
maiori eloquentia. (prout potero)  
studio & splendore gratiora sugge-  
ram. Caterum cum norim in simi-  
libus Musarum epulis plures esse  
dentes, qui sicca ossa adrodant, &  
conuiuij dominum mordeant; quā  
linguas quae succulentas dapes in-  
cundē cum sui animi sensu degustet;  
eiusmodi sanniones, mimos & mo-  
mos nil moror. Quorum dentatis  
chartis hunc ego vicissim dentē re-  
pono. Facilius est carpere quā imi-  
tari. *μῦθ' ἔειπεν ἢ μῦθ' ἔειπεν.* AR.

## ARGVMENTVM.

**A**brahamus, magnus ille gentium præfertim fidelium pater, Saram pulcherrimam iuxta & prudentissimam duxit uxorem. Cæterum vt pleræque, quas Sacra Pagina celebrat, venustissimæ mulieres steriles euasere: sic & hæc pœnè v(que ad vltimam senectutem, vteri spem omnem abdicarat. Quare (vti tum ferebant mores,) ex Agar Ægyptiâ ancillâ Abrahamus genuit Ismaëlem; & id quidem Saræ consilio, quæ inde sperabat promissam Abrahamo suo Abrahamiæ stirpis gloriam. Vel rectè arctius sibi vt deuinciret, quam dono acceperat à Pharaone: & vt Philo censet, ad veri Dei cultum verbo, & exemplo suo, forte & miraculo ac Pharaonis flagellis traduxerat. Cuius filio inter postgenitos Adæ primo omnium à Deo nomen sit inditum, & hoc Ismaël, id est Deus audiuit, nempe preces Agartum exfulis & grauidæ. Simul ob Abrahamæ merita illi filium donauit, quod alijs illustribus viris vt Isaac, Sampson, & Ioanni Baptistæ euenit. Qui vnâ cum parente Abrahamo iam annorum 99. circumcisus est; vbi mater redux ab exfulio, Angeli monitu sese heræ obsequio submisisset, & pristinâ morum innocentiam sibi obstrinxisset. Hic ergo tantisper Abrahamo præ cæteris, quos ex Ceturâ alijsque ancillis procrearat liberis, erat in delicijs, quem oculis, quem sinu ferebat

)( v donec



donec anno suæ ætatis centesimo , Abrahæ  
Isaacus è Saræ gremio , ceu vtriusque risus &  
inopinum gaudium , cum spe amplissimæ stir-  
pis effloruit : è quo pulcherrimus ille fructus  
in IESV olim tandem ematuresceret. Demum  
post tertium annum ( vti tum erat moris ) vbi  
iam tandem Isaac nutricis vbera & lac abdicat,  
Abraham opiparum instruxit conuiuium , eò  
quod tum quasi viuere inciperet , eumque suis  
amicis vitalem ostenderet , ne partu supposito  
( vt acute docet Chrysostronus ) adulterinum  
nomen , præsertim si foret vnica proles , suspi-  
cetur ; vbi palàm quisque cereret in matre  
lactis fontes supprimi.

Vt autem vidit Ismaël tanto cum parentum  
gaudio Isaacum ab lacte depelli , & tam magni-  
fico epulo eam diei solemnitatem , ceu alterum  
natalem , celebrari ; occultâ inuidiâ , odioque in  
paruulum fratrem exarsit , atque adeò eum cœ-  
pit sannis & sibilis excipere , diuexare , & iniu-  
rijs contumelijsque incessere. Eò magis quod  
licet ipse iam annos 12. natu grandior , tamen  
excideret nobilissimâ illa primogeniti præroga-  
tiuâ , & principè inter fratres dignitate : ne quid  
dicam de felicissimâ Isaciæ stirpis in posteros  
propagandæ gloriâ. Quæ omnia eum in tam  
improbum ludum , & quasi puerile bellum im-  
pulerunt. Sic Paulus ad Galat. 4. v. 9. duellum  
eludo hoc explicat. Et Regum c. 2. ludere eos  
iubet Ioab , qui seria pugnâ se mutuis defixere  
vulneribus. Porro Saræ concepta ex Ismaëlis  
in Isaacum

in Isaacum contumelijs iracundia, & iustus vindictæ dolor, etiam in matrem Agar redundauit. Quis scit an non & ipsa Agar inuidiæ faces filio subiecerit, & contumaci superbiâ in doming suæ contemptum cristas erexerit; seque primi partûs gloriâ, & Abrahamiæ stirpis spe principe prætulit, & illi insultauerit. Vnde Saræ consilio iterum Agar cum suo filio iam annos septem & decem nato, in exulium depellitur ab Abraham, inuito quidem; sed cui suæ Saræ sapientissimæ mulieris & festiuissimi pueri sui Isaaci amor è paterno pectore extorserat id imperium. Panem itaque & aquæ utrem utrique (grandiusculus enim tum Ismaël.) imposuit. Quòd autem legitur apud Septuaginta cap. 21. vers. 14. *Et posuit puerum super humeros eius; sic lege, Dedit Abraham Agar panem & utrem aquæ, & posuit super humeros eius, & puerum (supple) tradidit.* Quæ tenuia vitæ subsidia in tam longinquo exulio vbi miseros iam defecerant, in Bersabee deserto ad meridiem Iudææ; Agar præ mērore & lassitudine, præsertim siti defecta, defectum abiecit filium, & ex aduerso sedens morientem coepit deplorare: Quibus in ærumnis Angelus iterum apparuit, & fontem quem luctu turbida non animaduuerat, ostendit; vnde & solis æstum & sitim temperaret. Sic demum in Arabiam abiit, vbi Ismaël ferus Hebræis *Pere* id est onager, nempe agrestis, intractabilis, soliuagus, in solitudine egit, & sub tabernaculis vitam vagam instituit: qui cum sibi vicinos oppugnaret  
etiam

etiam ab omnibus ipse vicissim oppugnabatur,  
nec immeritò. Cuius è pro genie nulla vsquam  
est, nec porrò erit gens, quàm Agarenorum, siue  
Saracenorum; quæ tam latè, cum publico om-  
nium periculo, & fidei excidio, orbem sit perua-  
gata: vti & Abrahæ in Ismaële, promiserat Deus.  
Etenim per totum Orientem Indiam vsque, A-  
fricam & magnam Europæ partem, olim etiam  
per Hispanias diffusa, pœne mediam orbis par-  
tem Mahometis sui superstitione miserè defor-  
matam occupat, & etiamnum verum in IESV  
Isaacum oppugnat. Num autem ille, cui à Deo  
deposcit Abrahamus pater vt viueret, æter-  
nùm viuat; res incerta. Hebræi certè salutem  
illi adstruunt è pœnitentiæ beneficio & perenni  
diuinæ gratiæ subsidio. Perrerius tamen, Lipo-  
manus & Caietanus ambigunt in Genes. cap. 17.  
adscribo ergo N. L.

# LIBER PRIMVS:

## ELEGIA PRIMA:

1. *Collidunt Ismaël & Isaac.*
2. *Vtriusque è ludo oritur simultas Saram inter  
& Agarem, & inde huius exsulum.*
3. *Agar culpam Ismaëlis extenuat, & deprecatur  
pœnam, suamque obtendit innocentiam.*
4. *Erinnas suas deplorat, easque iam iam ad-  
futuras sibi adesse præ metu fingit.*

**L** Vdebant gemini patrio pro limine fratres. 1  
Si non in thalamo ludicra bella cient.  
Cerrat uterque, paresque anidus decurrit in artes,  
Vincendi studio quærit uterque decus,  
Nescio que medio ludo subrepsit Erinays.  
Venerat ab furuo liuida larua lacu.  
Hæc obliqua tuens limo dum lumine fratres  
Fascinat; in discors nomen utrumque secat.  
Exin rupta fides, & utrimque querela parentem 2  
Aduocat. Icla probris ardet utrimque parens.  
Rixa, furorque subit, Dominam pndor vrit; & ipsam  
Vrit item seruam, quem parit ira, dolor.  
Ecqua toro gemino sit pax, & gratia pacis  
Salua diu, dispat cum stat utrimque puer?  
Nec potis est coniux longas incidere lites:  
Quid faceret? seruam iudice damnat herâ.  
Abramo nunc ergo toro diuerse perennis  
Exul Agar, confors cui modò nomen eras,  
Bersee loca sola terens Arabasque salebras,  
Torrída queis æstas triste perurit iter.

A

Tura

Tum lacrymis suffusa genas, tum plena furoris  
 Quem premit, hanc vocem turbida rupit Agar.  
 Quid precor, imbellis meruit sine viribus ætas,  
 In Sarai si quid peccat iniqua parens?  
 Immerito pater alme pius, sed parce puello,  
 Parce tibi. Gnato pars bona patris inest.  
 Parcere si nolis; iustas sed digere causas.  
 Si lubet, o lubeat, quod lubuisse licet!  
 I faco Ismael, inuidit forsan honores,  
 Et sibi iam primo præmia prima rapi,  
 Forsan & obliquis illum defixit ocellis,  
 Ut puer est. Pueri quid nisi ludus erat?  
 Fratris at illudit tenero vafer ille pudori.  
 An leuis ergo iocus iam graue crimen erit?  
 Si nocuit, tenero rudis error id imputet ævo:  
 Ira sit & iustis hinc moderanda minis.  
 Sin præceps furor haud æquas admittit habenas,  
 In me præcipiti quo pede cœpit, eat.  
 Quid iuuat infontis fors vncia parca cruoris,  
 Ut puer exstinguat quas alit ira, faces?  
 Sæpè Charis dixit cæco moderare furori:  
 Illa Charis nostro sueta sedere sinu.  
 O pueri miserere, piæ miserere parentis  
 Ipse parens, tangat corda parentis honos;  
 En tuus hic sanguis tibi flos satus vnde nepotum est,  
 Primus & ille quidem nec memor hæret amor?  
 Quin etiam non æqua licet diuortia damnet  
 Quam pepigi sancto fœdere vincta, fides,  
 Siue trahat maleuada Venus, seu dira Megæra  
 Terreat, aut toruas fulminet ira minas:  
 Quod tibi seruo decus nîneo de flore decoris  
 Nec fera decerpit vis, nec adalter hymen.  
 Sed quò sancta fides? quò gratia rara iuuentæ?  
 Quò laus prima tori? quò sine labe torus?  
 Quò Sarai modò plausus & arrha marita parenti?  
 Tot si dona procax turbo repente rulit?  
 'sque ad eone graues Diuis queis opprimor iræ  
 Ut nequeant animi flectere fræna sui?

Seiqui

## ELEGIA II

3

Se qui vincit amans, illum mirabor, & illi  
 Dixero: sis astris pulchrius opto caput.  
 Sed non frangit Amor, nec erit fregisse furorem,  
 Detonat in clades surda procella meas,  
 Surdior at statua, vel marmore durior hostis  
 Auribus excludit quas damus ore, preces.  
 Vel patrios poterant manes excire sepulcris  
 Hæ lacrymæ, nec adhuc corda paterna movent?  
 Ergo mihi dubio nunc impendenda labori  
 Vita, diu tutâ cui stetit arce quies?  
 Mille deerrandum via quò rapit auia, campis,  
 Mille sed vna sedet mors mihi meta vijs.  
 Dum quæror incurfat rabido me pardus hiatu,  
 Iamque latus Gnato diripit ille meo,  
 Decipimur (cæco Pietas ignosce timori)  
 Mens quæ ficta videt vera pericla pauet,  
 Sunt aliquid misero sed ficta pericla timori.  
 Omnia non fingit, mox ea vera gemet.  
 Sic vbi nunc nil facta virent aconita venenis:  
 Terra dein atræ semina pestis alit.  
 Nusquam tuta salus, fraus omnibus incubat oris,  
 Omnibus & fallit insidiosa plagis.  
 Idque vbi monstriferis sæuit fera plurima syluis,  
 Siue Draconigenas sibilat aura minas.  
 Quàm citò fors fallit! cui tot domus inclyta donis  
 Verro solum, & nudo copia versa solo est.

## ELEGIA SECVNDA.

1. Sara monet Abrahamum vt sui Isaaci salutem  
 consulat & Ismaëlem expellat.
2. Abraham paret bene monenti.
3. Agar vt id agnouit furtim Abrahamum sæ-  
 uitie arguit.
4. Vix tandem domo pulsa cum eiulatu discedit.

A ij

Bisgeminus

**B** Ifgemius patria frater colludit in aula:  
 Par genus, at dispar pugnat vtrimque decus,  
 Ifacus, simul Ismaël duo pignora stirpis,  
 Abramidæ; Abramij gloria at ille tori.  
 Cui tantum cedit serua e Nilotide frater,  
 Stirps violæ quantum cedit odora rosæ.  
 Aut pallens niueo cedit saliuca ligustro,  
 Cedit item palmæ stans sine fruge salix.  
 Purpureoue corymbus vti minor vmbra racemus  
 Cedit, & vt suauis cedis amelle crocus.  
 Hic impar & pugnat honos, sic pugnat honoris  
 Ambitus, hinc fratres liuor & ira secat.  
 Nec sine (longa nocet damni mora) vt alter ab illo  
 Frater adhuc patrias hoc lare cernat opes.  
 Quis sinat errantes hederas adserpere pomo,  
 Ni velit vt pomi præmia nulla legat?  
 Quis sinat assurgant circum violaria dumis,  
 Pro violis carpi ui velit inde rubos?  
 Quare age: certa nouæ metuo contagia noxæ:  
 Fac procul Ifaco noxia pestis eat.  
 Frater alit pestem: fallax viret herba veneni  
 Multa domi, vecors quam ferit hospes Agar.  
 Mors erit ah hinc ferre moras! scelus exigit iste  
 Limine quod proles & nigra mater eat.  
 O me felicem si non peperisset! at eheu!  
 Iam peperit damnum partus at iste meum.  
 Quid? quod & in Dominæ iam serua superba pudorem  
 Insultat, Dominæ laus cui liuor erat?  
 Sic gemit in iustas erumpens Sara querelas.  
 Inflexit facilem iusta querela virum.  
 Ac fremit, ipse paremque ægro sub corde dolorem  
 Concipit indignans, Sara quod orta queri est.  
 Illicet ergo domo cum matre faceffere Gnatum  
 Imperat, & sæuas adsonat ira minas:  
 Quod non primus amor sibi ius deposcit honoris,  
 Et quæ iusta neget vota supremus honos.  
 Nullus & inde patens iam spirat in ore parentis:  
 Omnis at in Saræ pectore viuit Amor,

## ELEGIA II.

5

Flens Agar attonitis has hausit vt auribus iras,  
 (Quas regit arbitrio Sara seuera suo)  
 Tum demum lacrymis fluxas effundit habenas. 3  
 Heu ! lacrymæ damnis fors super vna suis.  
 Et tu flere voles, flentem si videris hospes:  
 Respectat patrios, barbara tecta, lares.  
 Et tales tacite clam mussitat ore querelas  
 More lupi linguam vinxit in ore timor.  
 Hoc cadit in quemquam scelus ? hæccine præmia partus?  
 Tun' pater, an duro de patre bruta silex ?  
 Tun' pater & coniux ? sic ah ! sic impie matrem  
 Deseris ? ah ! Gnati cura nec vlla tenet ?  
 O crudelis hymen ! Amor ô crudelis Erinny !  
 Durus vtroque parens sæuius hoste furis.  
 Vt misero ! durosne tener potis ergo labores  
 Ferre puer ? pueri te nihil angit amor ?  
 Cernis, vt ad mæstæ lamenta precesque parentis 4  
 Labitur exanimis pectore languidulo ?  
 Et lentum vt grandi flectit molimine greffum  
 Triste iubar seu nox, seu tulit orta dies ?  
 Quem simul ac genitrix strictas collegit in vlnas,  
 Attentat duras æger vterque vias.  
 Et tandem (tanti pondus ferat ergo doloris ?)  
 Mater abit, tardo quâ datur ire gradu.  
 Vtque redux sacris iterum dedit oscula valuis,  
 Perrepat lento deuia rura pede,  
 Atque ait : æternum vos tecta valere pudici  
 Conscia sæpè tori, iam meus vsque dolor,  
 Ter molita gradum, ter restitit obuia portis,  
 Ter sterit ad limen, ter rapit inde fugam,  
 Nescio qua præter solitum dulcedine pectus  
 Imbuir, è patrijs fax semel hausta focus. 20  
 Idque vbi consuetos vis cogit iniqua penates 20  
 Linquere, & ignotis tædia ferre plagis. 20  
 Frislinus vsus opum tunc vrit, & vrit egestas  
 Obuia ; & vrit atrox hinc dolor, inde pudor.

A. iij

ELEGIA



## ELEGIA TERTIA.

1. *Agar latum Ismaëlis natalem depingit.*
2. *Indignatur unum suum domo paternâ excludi Ismaëlem.*
3. *Deposcit ut sit vnus ea in familia alumnus.*
4. *Animalium ostendit in suos fœtus caritatem qua non sit in Abrahamo.*

**T** Vrtur vti viduâ luget gemebunda sub vltimo  
 Præmoriente fides cui perit orba viro:  
 Sic ego cui præreptus honos, & gratia factis,  
 Ingemo, funestis mater, & orba probris.  
 Ante quidem memini Gnati nascentis Eoo  
 Induit umbrosas festa corona fores,  
 Thuricremis vnctę pinguescant ignibus aræ  
 Tum pieras dixit cui stat acerra manu.  
 Mopsopio tum liba fauo, tum dona parenti,  
 Tum data conuiuis ebria fercla mero,  
 Tunc hilares myrti, lauriue, cypriuę sub vmbriâ  
 Et thalamo & cunis dulce sterere nemus.  
 Lacteolis ni fallor ijt vox prima labellis  
 Qualis odor violis, qualis it aura rosis.  
 Tunc voui pueri quod pes, seu dextera tangat,  
 Id rosa pulchra foret sub pede, gemma manu.  
 O quæ tunc thyma! quas violas cunabula circum  
 Fudit humas, pulchris ambitiosa rosis!  
 Vidit vt os Charitum chorus hinc adrisit & isthinc,  
 Sic trahit hunc blandis forma venusta genis,  
 Quid referam risus, amplexus, oscula, ludos,  
 Siue Abrahame tuos, seu fera Sara tuos?  
 Deliciasque ætas quas lactea sæpè parenti  
 Ferre solet, Gnato sæpè referre parens?  
 Adijce tot lætis voriuę crepundia cunis  
 Quæ nurus huc omnis, quæ pater ipse tulit.

ELEGIA III.

37

At nunc prò ! modicâ quantum fors mutat in hora! 2,,  
 Summa prius rapidis vertitur ima rotis. ,,  
 Quod decus ante dedit, in dedecus, inque dolores ,,  
 Improba periurus gaudia flectit hymen. ,,  
 Supplicium crudele, quod ipse vel horret Auernus :  
 Et sub auernali clausa Megæra specu,  
 Regia ter centum quæ sustinet ampla clientes,  
 Prò facinus ! fratres non capit vna duos.  
 Et pueros queis sit torus vnus idonea sedes ,  
 Nec domus ambo capit commoda mille toris.  
 Quem liuor , regni que tenet scelerato libido, ,,  
 Vix illi modicus cespes hic orbis erit, ,,  
 Testis Abel, testis Cain crudelis, & orbis ,,  
 Cui violat castam liuor adulter humum. ,,  
 O quantò satiùs iustis cadat impius armis  
 Frater, vt hic fratris de nece sospes agat!  
 At ego vix coniux ( quid enim si nescia dotis )  
 Ipsa tamen coniux coniugis hospes eram. ,,  
 Sit puer ex illis ( si non patris aureus hæres ) 3  
 Diues opum iustâ quos dape pascis herus.  
 Mensa paterna beat varium sine nomine vulgus,  
 Vnus & hic Gnatus nescit herile penu.  
 Ille domo Syrus Arabicis errabit arenis,  
 Nec Syrias pingui cespite carper opes.  
 Paruos parua iuuant. Nec gratia parca pusillam  
 Stillat opem cui tot copia manat opum ?  
 Et quantum fuerat si quid breue farris & vnde  
 Puls legat, vt vincat spes sata pulte famem ?  
 Nonne peregrinos Dryas vber adoptat alumnos  
 Ars vbi ferre iubet poma marita pyris ?  
 Et quas non peperit natali conscia ramo  
 Pascit adoptiuas frondea mater opes ?  
 Educat implumes Progne iam læta nepotes,  
 Vt luteum celsâ de trabe si xit opus.  
 Hæc vt Abrahamijs nutrix sedet hospita tectis  
 Opprobrat immitti tam graue crimen hero.  
 Turtur & ipsa suo concors cum turture nomen  
 Plumca sub blando pignora corde fouet.

A iiij

O vii-

O vnam lex æqua meum quoque seruet alumnum!  
 Diuidat hic curas mater, & ipse parens!  
 Ast ego iam vidui gemo lugubre nomen Amoris,  
 Ante diu socio diua marita toro.  
 Ergo meas tristi turtur geme fronde querelas:  
 Par dolor in quavis turture viuat Agar.  
 Si tamen hæc viuit, sua cui lux occupat umbris,  
 Mater, & in Gnato bis perit ægra suo.  
 Plus nimio felix, pignus crudele doloris  
 Flens Agar in Gnato ni peperisset, erat.

## ELEGIA QVARTA.

1. Agar arguit irridetque Abrahamum, qui id quod agit, agi adserit Dei imperio.
2. Ostendit quam sit turpe parentem esse sine liberis.
3. Omina sui diuortij, & sui cum filio exsiliij enarrat.

**I**N nihilum cecidere preces, cecidere querelæ,  
 Spemque citrà in vano vota sterere gradu,  
 Iamque abit in sterilem partus fiducia fructum.  
 Qui dare nescit amans munera, verba dedit.  
 Ne tamen hoc æquus iudex scelus arguat olim;  
 Fingit agi nunc numinis id quod agit.  
 Quis credat? sceleri numen prætendit: in ipso  
 Numinis imperio quis velit esse scelus?  
 Mentiri que docet magni responsa Tonantis,  
 Coniugis imperio numen inesse iubet.  
 Obsequiumque vocat, quis iussa facessere Diuum  
 Audeat? O pietas impia digna Deo!  
 Præclaræ pietatis opus sic perdere Diuum  
 Auspicio, Dini quod pepigere decus.  
 Itur, ob hoc (dubites) consultum oracula vatam,  
 Abrameo vt sedeat iam Sara sola toro.

Thure-

ELEGIA IV.

Thurecremis hinc agna frequens cadit hostia flammis,  
 Gnarus ut alter Abel victima dira cadat.  
 Sitque suo fratri Cain nunc alter Ifacus:  
 Sitque meus Saræ risus, & usque dolor.  
 Quid? mihi quem pepigit perdat Deus æquus alumnum?  
 Perfidie in titulum num caderet ista fides?  
 Desine tale quid innocuis adfingere Diuis,  
 Quisquis aues Diuum iussa decusque eoli.  
 Neve quis tali se iactet honore Tonantis,  
 Ceu quod Sara iubet, iusserit ille sequi.  
 Sic sibi spem stirpis spondet pro talibus ausis  
 Si mea stirps dirâ sit necesse iussa meti.  
 Scilicet hanc meruit noxam, quia lacteus infans  
 Præcidi tenero vulnere iussus erat,  
 O ingens facinus nostra quod cæde piandum!  
 Quod patris imperio fluxerit iste cruor!  
 Hac mea fors, pietas magis ut sit noxia quovis  
 Grimine, vel certè præmia nulla ferat.  
 Candida cui dextro cadit, & redit alca iactu,  
 Nauiget is vento, quo vocat vnda, suo.  
 Non ego sic. (leuum fors omnia versat in orbem.)  
 Heu mea tranquillo naufraga cymba mari est.  
 Ah! pater immitis (modo si pater ille nepoti est)  
 Qui secat ambo graui pignora discidio!  
 Discidio quo non aliud funestius vllum.  
 Heu pater affectus diripit ipse suos!  
 Triste suâ sine fruge seges, sine palmitè vitis,  
 Fons sine fontis aquis, & sine stirpe nemus.  
 Herba comans sine flore, suis sine frondibus arbor,  
 Ac sine luce dies, & sine prole parens.  
 Abramix si prima tuli ceu pignora gentis,  
 Et suprema pari præmia sortè feram.  
 Quid prohibet gemino cum par stirps floret alumno,  
 Par & stirpe pari fructus amoris eat!  
 Sed quid vbi spes alma nouo præflorete honori?  
 Omnia dira nigræ præcinuistis aues.  
 Ante quidem Mambre prædixit ab ilice cornix,  
 Innecta viro, nostris gaudia prima toris.

A v

Sorsque

Sororque diu stetit alba. sed heu! deflexit in atrum  
 Mortis iter. partus morte piandus erit.  
 Omen habe, en volucris cornix cadit vna sagittâ;  
 Altera iam quercu turtur vt orba gemit.  
 Quin etiam quod sero memor retracto sagaci  
 Mente, Dryas didicit præscia fara loqui.  
 Abramio infelix arbor quæ stabat in horto  
 Ista dedit sæuæ conscia signa necis.  
 Vidi ego fraterna quos educat arbor in umbra  
 Sæpè mihi ramis poma gemella legi.  
 Turbo sed abruptit gemini præ fœdera rami,  
 Sauciaque abrupto terminata mala tulit.  
 Sic meus & conuax geminus cui fructus ab vnâ  
 Stirpe duplex gnatus dulce pependit onus.  
 Abdicat hunc, illum sibi blandus adoptat alumnum,  
 Et sibi iam discors his sua vota rapit.  
 Quod si de Sarai princeps stet cura parenti:  
 Post in Agar saltem vota secunda fluant.  
 Isacius currus latis decurrat arenis.  
 At meus in paruo puluere currat equus.  
 Si non Isacius heres sic æquat honores,  
 Sorte pari & patrias quærat vt alter opes:  
 Primus at hic sanguis tuus & tua prima voluptas,  
 Haud indigna pio dona parente ferat.  
 Parua peto: puer est: pueri te gratia tangat:  
 Parua decent paruos fors vbi magna negat:  
 Non omnes iuga celsa decent, magneque cupressi:  
 Et iuuat ex humili parua myrica solo.  
 Si rosa non dederit folio è maiore coronam,  
 Hanc dabit apra breui tum saliuca comæ.  
 Quid leue posco dapis? posco breue pignus honoris?  
 Parua sed ô durus? tu mihi dona negas.  
 Parua negare parum est; maiores itur in iras:  
 Ceu scelus antiqua pellimur ambo domo.  
 At meus Ismael, furit vt Leo sæuus Isaci  
 In caput, inque Saram sequit Erinnyes Agar.  
 Scilicet Ismael, quia ceu cicur occidit agnus,  
 Consciscit rabidi triste leonis opus.

Et quo?

Et quoniam Saræ mitis nurus excipit iras,  
Hinc Agar in sævum crimen Erinnya agit.

## ELEGIA QUINTA.

1. Indignatur se familiã Abrabæ & toro de-  
pelli.
2. Primas enarrat Abrabæ ex Ismaële delicias.
3. Suam inde felicitatem depradicat.
4. Quam Saræ invidia conqueritur corrumpi.

Ergone me scelerata viri periuria ? parrus  
Tristibus ærumnis sic an emenda fides ?  
Et mihi iura tori sic abdicat vltima coniux  
Cui sacra coniugij præmia prima dedi ?  
Nonne sacris pepigere focis responsa Tonanti  
Hac in prole suis nobile germen auis ?  
Sed nisi promittunt vbi spes promissa fidesque ?  
Auolat in surdos, vocis vt aura, notos,  
Nec memor vlla spei superest, nec cura labori  
Quem grauido inclusit Luna nouena sinu.  
Quid querar ærumnas & acerba piacula partus  
Gignat vt huic patri gaudia prima dolor ?  
Hos an me miseram fors dira referuat in vsus,  
Ne thalami dulci fas sit honore frui ?  
Sæpè pater si quando pependit ab vbere, Gnatum  
Abstulit, & lacrymans oscula sæpè dedit.  
Non tædebat onus modò dulce quod hæserat vlnis,  
Nunc etiam patrio sustinuisse geau.  
Nec puduit ( puerum nunc de sene crede parentem )  
Balbo cum puero murmura balba loqui.  
Tum vox vna fuit: debes mihi Gnare nepotes,  
Quæque mihi dederis gaudia sæpè dabis,  
Sæpè sponondit amans felicitis & omnia vitæ,  
Qualia foecundâ coniuge spondet hymen.

Sæpè

Sæpe femur tangens, vbi spem sua Sara fefellit,  
 Sanxit vt hic hæres cerneret vnus opes.  
 Tum tener adrisit placido quid dulce parenti  
 Paruulus hic hæres: firmat id omen hymen.  
 Cui patet adridens illas, en accipe, bullas.  
 Manus habe magni parue parentis honos.  
 Tuta tibi longo fiducia crescit ab vsu.  
 Sic equidem rebar. spes rata sæpè fuit.  
 Abramidum spem prima dedi pignusque nepotum,  
 Spondebatque nouum spes decus Abramidis.  
 Nec spes casta fide recidit, sed rescidit alas  
 Liuor, & ab stygijs tristis Erinny's aquis.  
 In sterili dum Sara toro gemit irrita voti,  
 Quas non in furias tum furor ater agit?  
 Hæc comes vxor erat, dos est vxoria liuor,  
 Si socio coniux sit geminata toro.  
 Obsequio quoties volui lenire furorem,  
 Obsequij toties præmia dura tuli.  
 Obsequium flectit dociles ad fræna quadrigas:  
 Obsequium frangit ad iuga panda boues.  
 Obsequium prius indomitos mitescere pardos  
 Imperat, imperio subdit & vrsa caput.  
 Obsequium quid non blandis expugnat in armis?  
 Nec tamen obsequijs est Sara victa meis.  
 Sed quid vana queror? quisquis pius vberè dono  
 Cuncta dat ingrato, tum sibi cuncta negat.

## ELEGIA SEXTA.

1. Ostendit canes, arbores & conseruas suo ingemiscere exsilio vbi domo egreditur.
2. Per omnia sacra obtestatur ne se abs se dimittat cum filio.
3. Se omni purgat crimine.

Ibimus

## ELEGIA VI.

13  
E

I Bimus Assyrios, extremos ibimus Indos,  
 Ibimus ab Syrijs ad Garamantas agris.  
 Ibimus, o miseri! quæ gens hunc barbara morem  
 Nouit, vt excludat quis sua vota toro?  
 Et cum matre suum thalamo depellat alumnum?  
 Quis leo, quis pardus, quæ tigris au sa fuit?  
 Fleuit & in Mambre sibi quæ struit ilice nidum  
 Attis auis, tristis vox cui semper Agar,  
 Et soror in lutea trabe cui stat pendula sedes,  
 Rursus & amissum mœsta querit Itym.  
 Ast Itys Ismaël, Agar aggemit altera Progne,  
 Saucia quæ probris mortis oberrat iter,  
 Flent querulæ circum cedri, tristesque cupressi  
 Quis sibi prætexit læta Napæa vias,  
 Fleuit item nurus ipsa mei cui dulcior vsus  
 Ante fuit, lacrymasque inter id ægra rogat:  
 Quo te quæso pedes? Agar o quas tendis in oras  
 Hic vbi saxa rubis horrida, lustra feris?  
 Quare redux placidum, quæ spes super vna, parentem,  
 Obsequio cedit fors minor ira tuo.  
 Sic mihi suadet amans Cerura, nec abnuo demens  
 Prouida Ceruræ cura quod vrget opus.  
 Ergo gradum pressi, lacrymasque aduoluo amanti  
 Ante viro, & dixi: supplice fracta genu:  
 Ite genis lacrymæ, lacrymis mitescit acerbus  
 Mox furor, it lacrymis, dulcis vt ignis, amor  
 Ite pij gemitus: frangit vox mollior iram.  
 Ite preces: dextrâ supplice tange genu.  
 Te per ego matris gremium, per & ossa parentum,  
 Et per quem pietas iurat auita Deum;  
 Et caput hoc adiuro tuum mihi numinis instar:  
 Id quod sit capiti pulchra corona meo.  
 Si potes ( vt potis es ) miseram miserare parentem:  
 Sin minus ah! Gnati sed miserere tui.  
 Te per ego thalami socialia iura, per aras,  
 Dulce per & quidquid pristinus hausit amor.  
 Te per ego lacrymasque meas, per & oscula Gnati,  
 Perque dedit toties quam tua dextra fidem.

Pag



Per dulces etiam pueri tua gaudia risus,  
 Per tibi quæ sterili gloria primo toro.  
 Et per adhuc tinctum Gnati de sanguine peplum:  
 Sanguine, qui sanxit fœdera digna Deo.  
 Dum breue nescio quid tenero præscidit alumno,  
 Abramidum & pepigit sica cruenta fidem,  
 Te per ego hunc matrisque sinum, Gnati que dolorem,  
 Tu tibi sub gemino nomine parce pater.  
 Coniugis & Gnati non æquo parce pudori:  
 Quæ nigra ferre piget probra, tulisse grauat.  
 Videris ah, flentem; tu fleueris ilicò Gnatum.  
 Deque meo luctu, par tibi luctus erit.  
 O supplex vbi tango genu, vel diluo fletu.  
 Hic tibi cor fletus tangat & vda manus.  
 Haud dubium, sic suadet amor, sic gratia gnati.  
 Quis pater in patrio defore corde patrem?  
 O quam digna viro, comites dixere puellæ,  
 Nubit Agar pulchrâ prole futura parens!  
 Sed quid ego lacrymas inter iustasque querelas  
 Tango genu maior si tetigisse dolor  
 Vos oculi testes, & tu lux conscia testis,  
 Hic torus opprobrio testis, & æthra meo.  
 Serus an inuitum iam deserit Hesperus Hermon  
 Dedecus enudet fax vt Eoa meum?  
 Scilicet indignans (sic an data dextera?) sponsam  
 Respuit, & damnas quam dedit æqua fidem?  
 Non ego sublegi fallace peculia læua:  
 Inclusiue meo non mea dona sinu.  
 Non ego primâ tori præcepisti præmia Saræ,  
 Iura nec imperij principe digna manu.  
 Non ego funestæ distinxisti tela nouerçæ  
 In caput Ifaci, seu mage Sara tuum.  
 Non ego (læsa fides quod sepe suâsit & ira)  
 Affudi infido cœca venena mero.  
 Et tamen hic vbi crimen abest luo crimine dignum  
 Supplicium. ô pietas, ô vbi sancta fides?  
 Dixerat, & duplices tendens ad sidera palmas,  
 Inuocat vltorem, sed sine voce, Deum.

Et sedet

Et sedet ad limen, quod credidit ipsa moueri :  
 Hic secat vngue genas, & secat vngue comas,  
 Dumque viri dulces memor ipsa regustat amores,  
 Cor dolor (ô crudum vulnus) acerbus edit,

## ELEGIA SEPTIMA.

1. *Agar exoptulat se Saræ potentiore inuidiâ premi.*
2. *Queritur de viatici parcimonia.*
3. *Obtestatur Abrahamum ut sui & filij miseretur.*
4. *Ismaëlis plorantis habitum describit.*

## VOX AGARIS.

Ergo diu felix hæc in diuortia nodus  
 Scinditur, & coniux coniugis arte perit?  
 Abramidumque exsul sic abdicat orba penates  
 Agar, & infelix Agaris ille puer?  
 Hoc Saræ facinus, quid non vis improba liuor  
 Ausit, & alternis æmula rixa toris?  
 Nescit honos sibi ferre parem, paulòque minorem: 28  
 Siue pari tangi spe, vel honore decus, 29  
 Stare gradu propiore nocet, sic lilia vidi 30  
 Proxima queis stabant sentibus iæta, mori. 31  
 Sæpè breui & Cedrum vidi incubuisse frutero,  
 Inuida quam sæui subruit ira Noti.  
 Prima tori fateor dominam fert Sara coronam,  
 Proximus ab prima floruit Agar honos,  
 Si non prima diu Gnatus cui prima voluptas  
 Hæc Abrahame tibi, laus tibi Sara stetit,  
 Ergone in hos vsus puerum vox aurea cælo  
 Dedicat, vt terris omnibus exsul eat?

Ah! quis

Ah quis nunc animus puero, puerique parenti,  
 Far vbi triste puer fert, sua mater vtrein!  
 Et quantum hoc? Cereris breuis vna vel altera, aquæ  
 Vncia, mille leuet tedia, mille vias?  
 Et leue quid doni ( si donum est pignus acerbi  
 Exsulij ) digitis quod tribus addat onus?  
 Hæcine longinquis sunt equa viatica campis  
 Queis puer errat inops, errat egena parens?  
 Non poterat, patrio si mica superstes amor est,  
 Larga cado promi gratia, siue penu?  
 Quo nisi parcus vter? vis vt cum matre puellus  
 Vix quid aquæ liber, dum bibit omne pecus?  
 Vlla nec hic ficus, pressi nec copia lactis,  
 Nec ficella leui quam dape poma grauant.  
 Castaneisque comes palmæ de termite fœtus  
 Suaue liquens dulci nec fluit imbre fauus.  
 Subsidiū pro quale penu de diuite coniux  
 Suggestis, hæc sicca dona maligna manu!  
 Tu decus hoc æui sic consulis æquus honori  
 Ergo tuo? hunc fructum flos alis ille virum?  
 Heu! quoties specto, toties gemo turbida luctu:  
 Hæc nimis ærumnis tristia signa meis.  
 Pellimur inde domo, pater hinc expellit, an hostis?  
 Neuter erat: durum vulnus vtroque tuli.  
 Sic pater ah! equis oculis sua viscera Gnatum,  
 Affectusque rapi sustinet ergo suos?  
 Quod si forte tuæ, quæ clarior emicat astris,  
 Nolueris famæ parcere, parce probro.  
 Hætenus infelix miseri comes exsulis exsul  
 Quas fluit in lacrymas egra, perenne fluct.  
 Sic gemit accumbitque toro laniata capillos,  
 Scissa genas, planctu limida tota sinum.  
 Flet puer in gremio, serpitque parentis in vlnas  
 Heu miser! & patris tendit ob ora manum.  
 Necquicquam: sed ob ora manum preterdit, & ambit  
 Vltima quæ possit oscula ferre parens.  
 Oscula nolle parum est: patrijs euerberat vlnis  
 Hunc modo qui collo dulce pependit onus.

O ut naturæ verrit vis inuida leges!  
Ante parentis Amor, iam furor hostis erit.

## ELEGIA OCTAVA.

1. *Arguit Saram iniuria.*
2. *Indignatur se Abrahæ domo excludi.*
3. *Ipsa limina, & canes fingit suum luxisse  
abitum.*
4. *Quis abeuntis gestus.*

Liuor, & ira graves concors conspirat in ausus  
Prò scelus! hæc dominum vicit, & alter heram,  
Hinc cui crimen abest, ac criminis vmbra, vel error;  
Sum rea: quod coniux damnet vterque ream.  
Si lubeat iusto sub vindice quærere causam:  
Grande nefas, pueros lis tenet vna duos.  
Fratres amans fratrem tetigit. (res ludicra) tactu  
Ludit is in fratrem sit graue crimen amor?  
Hinc Agari, Sarai dispar in prælia nomen:  
Vt quia par coniux, pugna sit vnus hymen:  
Hinc tam grande nefas, & forsitan morte piandum  
Ludus, an hæc ludo præmia soluit Amor?  
Hanc poterat domus vna viri, torus vnus Erynnyn  
Flectere; si flecti posset amore chalybs.  
Inuidiâ Saræ tenet impius ille parentem  
Ardor, & ardoris damna scelestæ luo.  
Scilicet hoc merui coniux, & mater; in vno  
Crimine cui duplex crimen amoris erat.  
Sens heræ non fontem premit hinc sine vindice seruam,  
Improba vis! an vim serua retundat heræ?  
Hinc & ego rursus Diuam, quo nescio, nutu;  
Vertere iussa solum, vertere iussa fidem.  
Quid loquar hæsueros ardenti puluere sulcos?  
Quid sequar errantes cæca per arua pedes?

B

Mene

Mene toro auelli cui sic mens arsit ; & ardet  
 Absque modo , ceu fax pronuba , fidus amor ?  
 At vos indigni thalamis tam tristibus ignes  
 Quos accendat hymen , nox vbi festa venit.  
 Inde Megæra feras inflammat opinor ; echidna,  
 Vnde bibit virus liuida Sara suum.  
 Sic gemit , indignansque fremit mens saucia luctu :  
 Nec modus est iræ , quam parit æger amor.  
 Ecquis enim modus immenso foret æquus amori ,  
 Qui sterit Abramio splendida tæda toro ?  
 Stare iubet modò certas Amor . vis impia cogit  
 Ire . stat imperio cedere . cessit Agar .  
 Cessit ? inhaeret amans valuis , simul oscula figit .  
 Oscula crudeli dissoluenda fugâ .  
 Mota solo est tellus ; & Hylax in limine latrat :  
 Opprobrat infido tam graue crimen hero .  
 Sentires tremuisse fores , tremuisse penates  
 Vt tetigit trepidis limina sacra genis :  
 Et mæstos vlulare canes , lacrymare columnas ,  
 Liminaque attonitis anxia liminibus ,  
 Vtque labante labans stabat tum limine ; limen  
 Ore premit , postesque implicat arcta manu .  
 Nec poris auelli . noua postibus oscula plorans  
 Reddit . & inde nouo tacta dolore gemit .  
 Nunc pueri teneros vultus , nunc alma parentis  
 Vbera prærendit , nunc sine dote manum .  
 Nunc respectat Agar linquendos ægra penates ,  
 Nunc scelus auersans abripit inde gradum .  
 Nunc cursim reuolat ; medio nunc colle resistit  
 Dum memor antiquæ sortis imago redit .  
 Blanditias nunc miscet amans , nunc iurgia portis  
 Addit , & alternis oscula mixta probris .  
 Nunc pudet opprobrij , læsi nunc tædet amoris .  
 Nunc redit in pectus pristinus ignis , amor .  
 Inde pudor crudo tenerum cor vlcerat æstro ,  
 Deque pudore dolor vulnera cæca parit .  
 Ingeminat nunc vota pijs oneranda querelis ;  
 Nunc abit in tornas versa querela minas .

Et denhis

Et densis lacrymis dolor hæc inscribit arenis :  
 Abramis Abramiden deseret ergo suum !  
 Deserat: ista parum duræ sed noxa parenti est ;  
 Insuper & diro deuouet exitio.  
 Nec minus infausti patris in caput execrandum  
 Gnate uoues sæuis omina fœta minis.  
 En, quò patris honos æquus quem debet alumnus !  
 En quò iam pieras, & tua Gnate fides !  
 Ipse Thyestæis patris ut caput impie diris  
 Defigas, meruit, fit pius iste furor.

## ELEGIA NONA.

1. *Canis abeuntem Agarem amans sedatur.*
2. *Agar id Abrahe opprobrat.*
3. *Blanditur Ismaëli humi decumbenti canis.*
4. *Iude Agar arguendi Abrahami ansam arripit.*

**D**igreditur tandem mœstis nurus anxia tectis :  
 Vis fuit : & Gnatus par terit exsul iter.  
 Ut fit ; ubi lento limen pede suppressit Agar ;  
 Transsilit ima leui limina calce canis.  
 Adsequitur que pari quadrupes comes agmine fientem,  
 Cui pauit at tremulis crispula cauda modis.  
 Adsaltatue stolam, dextramque præhensat cuncti,  
 Nescio quid rictu visus hiant loqui.  
 Gestus amans pro voce fuit : gannitus, amorem  
 Quem licet, & vibrans cauda dat arte loqui.  
 Tunc sic Abramios Agar increpat ipsa furores.  
 ( Sic vocat imperium iusta quod ira dedit : )  
 Ferrea, cor illo sub pectore duruit, incus,  
 Quod tener è Gnato frangere nescit amor,  
 Quis sua crudeli rescindat viscera iussu ;  
 Viscera funestis dilanianda feris ?

Affectus sic ergo suos ah! deuouet vrsis?  
 Mitior est isto pardus, & vrsa viro.  
 Pardalis ecqua suum pardi discerpat alumnum?  
 Et leo quem genuit, ecqua leæna premit?  
 Dulcius an quicquam (testis canis ipse) puello?  
 Et tamen hunc armis opprimit ipse parens.  
 Nec sufferre quidem potis est sibi lumina Gnati  
 Obuia; ceu Gnato Gorgonis ora forent.  
 Dirigit fateor iam cor, cos dura parenti.  
 Dat Sara Gorgoneo diriguisse gelu.  
 Sic fremit, vt tandem post tædia longa viarum  
 Herbolâ sedeat lugubris exsul humo.  
 Tum pius ægra canis prælambit ad ora puellum,  
 Adnumeratque vdis oscula mille genis.  
 Et trepidat circum, fugitatque, reditque viatim:  
 Gannit, & vt rursus gannijt, ambit herum.  
 Nec modus est: dubites plausum, planctumne vocares:  
 Sed potius planctum mœsta lycisca dedit.  
 Censeres pueri crudos sensisse dolores:  
 Vsq; adeo blandis erudit ora modis.  
 Omnis & in tenero sic hæret cura puello:  
 Sic graue matris onus, sic miseratur iter.  
 Sic lippos oculos tristes distillat in imbres.  
 In canem sic crescit, matre dolente, doler.  
 Cernis vt in pupo placidis adridet ocellis?  
 Adlambitque auris pallida labra labris?  
 Demulcetque inhians molli scabra pectora linguâ,  
 Pectora Caucasæa frigidiora niue?  
 Vt cor perne suum gelidos transfundit in artus?  
 Adspiratque animam lactea in ora suam?  
 Inde pio duos miseratus amore dolores,  
 Quod potuit, puero decubat ante pedes:  
 Semianimique iacet par mortis irago puello:  
 Et certè puero vult moriente mori.  
 Nec lacrymis (lacrymæ frangant adamanta) parentem  
 Flectit, hians atro qui perit ore puer.  
 Illi dura silex, illi stat pectore ferrum,  
 Cor cui non gnati mors mouet ipsa sui.

Illa piam certè sors mouit acerba Lyciscam  
 Mollior ah ! duto patre Lycisca, sapit,  
 Sic leuior pluuia, Zephyrique fugacibus alis,  
 Auolat infido gratia prima toro ?  
 O cœlum ! ô tellus ! ô conscia Numina duri  
 Pectoris ? ah ! tantum sustinuere nefas ?  
 Sustinuere. puer sed enim non sustinet exsul.  
 Occidet infelix hinc puer, inde parens.  
 Coniugis ista fides, pietasque suprema parentis  
 Vt duo cum pereant, non iuuet vnus Amor ?

## AD LECTOREM.

I Gnoscat Lector si plusculum ; quam fortasse cui-  
 piam videatur, in cane luserim. Quis enim tam  
 durus & tetricus sit Cato, qui non admittat aliquod  
 dolori solatium, cen amœnum à viâ diuerticulum, in  
 tam longinquo & arumnoso exsilio ? & è canis ge-  
 stientis, seu potius dolentis blanditijs nonnullam ani-  
 mo haurire voluptatem detrectet, modo scite norit  
 heræ suæ adulari ? quod an probe, secusne agat, ege-  
 ritue ; viderint alij. Interim manum de tabulâ tollo,  
 in quâ mihi piæctus canis plus satis procurrit exemplo  
 Vlyssæi canis apud Homerum ; vt taceam Tobia re-  
 duci canis præ gaudio gestientis blanditias Sacrorum  
 auctoritate librorum referri dignas.



## ELEGIA X.

1. *Adloquitur suum Ismaëlem, eiusque deplorat ærumnas.*
2. *Se vulgi iudicio fore suspectam adulterij timent.*
3. *E quo timore mæror.*

**C** Vi caput immitti sic Sirius incoquit astro,  
 Quis ferat ærumnas ô mea vita tuas?  
 An tua mater amans expressit in ora papillas,  
 Nunc bibat vt lacrymas testis arena tuas?  
 Et draco deserris qui plurimus ardet arenis,  
 Pestifero questus hauriat ore meos?  
 Hinc oculus lacrymas pro lacte profundit amaras:  
 Pro dape singultus torrida corda vorant,  
 Nec modus his lymphis quas lugubris exprimit angor,  
 Sorisque alterna refert, ceu mola versa rotis.  
 Sol imbres bibulo radio quas siccat & æstu;  
 Roscida nocturnis luna reponit aquis.  
 Et Gnari, quos ore bibit, sicut ignea fletus;  
 Æger eos matris corde regignit amor.  
 Sed gena quid vitreas lacrymis indulget habenas  
 Calx vbi torper iners? calce terenda via est.  
 Ergo sitibundis peritura vagabor arenis  
 Hic vbi mille viæ, nec via mille vijs.  
 Quis scit an immanes tellus alit ista leones?  
 Horridaque immites pascat an ora tigres?  
 Me potius rapido ferus hauriat vsus hiatu  
 Quam sequar innumeræ rædia mille viæ.  
 Fortè quis incertam si viderit ire viator,  
 Exulio fingit crimina digna meo.  
 Meque ream nullo sub iudice damnat. Erinny,  
 Forsan & arcanis appetit opprobrijs,  
 Et dicit cui non Abrahæ domus hospita Codro est?  
 Cui non nota fides? cui malè notus amor?

Omnibus

ELEGIA X.

23

Omnibus ille parens, vni tibi sæuiat hostis ?  
 Vnus & in Gnatum sæuiat ille suam ?  
 Sæua nec ipsa quæ dentibus asperat iras  
 Tigris, in agnatam tigrida bella ciet.  
 Ne dum torus amor cuius Abrahamus egeno,  
 In tua damna, nocens ni mereare, furit.  
 Infelix ! quo te maculasti crimine, nuptam  
 Tam bene composito pellat vt ille toro ?  
 Ille quidem sic turpe meo sine crimine, crimina  
 Opprobat. opprobrio saucior icta meo.  
 Quid faciam infelix ? manant mea lumina fletu :  
 Non alio mores vindico teste meos.  
 Respondere liber : gemitu interrumpo querelas :  
 Sed tamen hi gemitus pondera vocis habent.  
 Me mea, confiteer, finxit fors inuida seruam ;  
 Nec pudet : at turpi crimine vita caret.  
 Sic ego : mox intercipiunt suspiria vocem ;  
 Atque iterum exurgens obstruit ora dolor.  
 Quid tamen hoc prodest si me mea poena nocentem  
 Arguit, & fœdi criminis esse ream ?  
 Nempe memor veteres retractat cura dolores :  
 Et quod non decuit ferre, tulisse pudet.

ELEGIA XI.

1. Agar pristinam felicitatem suam, & Ismaëlis commemorat.
2. Presentem infelicitatem deplorat.
3. Ismaëlis morientis habitum depingit.
4. Agar's querimonia.

Loquar insanos pectus queis vritur ignes,  
 Quæque sedent imo vulnera fixa sinu ?  
 Elingui ah ! hæret vox intertexta palato !  
 Singultumque voras, murmura trunca, stupor.

B iiij

Scd

Sed quid? anhelanti cordi dolor interclusus  
 Rumpitur in questus, rumpitur in gemitus:  
 Rumpitur in lacrymas, lacrymis iterumne recludit  
 Mœstus ut imber eat, quâ iubet ire dolor?  
 Ut memini (quid enim non commeminere parentes?)  
 Quantus Abrahami sidere splendor ijt;  
 Tum mihi nox oculis subrepat, & occupat ymbris:  
 Qualis Cymmerijs incubat atra plagis,  
 O quæ purpureis præfulsit gloria cunis!  
 Nunc sed arenosâ purpura squaler humo.  
 Aurea gemmanti præfulsit pectore bullâ:  
 Paupere nunc loro colla reuincta tremunt.  
 Quanta prius plenis adfluxit copia tectis!  
 Et iam sicca glabro damnat arena solo.  
 Quanta prius locupletè penu vis fluxit alumno!  
 At nunc exsanguis pallor in ore fames,  
 Hei mihi! quâ pingui (memini) macer agnus in aruo est,  
 Dicebas misero Tityre sæpè gregi!  
 Et mihi, quam pingui languet macer hædus in agro,  
 Dicebas comiti sæpè Menalca tuo!  
 Ast ego flens dicam, (quid non fors inuida mutat!)  
 Ipse gregis custos quod gemis, ægra gemam:  
 Hei mihi quam miser iste domo è felice parentis  
 Gnatus, inops summas qui perit inter opes!  
 Ah, nimium lætis semper fors inuida rebus!  
 Quæ modo dextra dedit dona, sinistra rapit,  
 Sed quid inexpletis lacrymas intexo querelis,  
 Quas bibat inuiso torrida gleba solo?  
 Intereâ diram mors expedit impia falcem,  
 Inque caput gnati triste minatur opus.  
 Pallor, & atra fames inserpit in ora puelli,  
 Aridaque insanus decoquit ossa rogas:  
 Præque diem veniens mors occupat inde iuuentam,  
 Quæ viret in crudæ præcoqua damna necis.  
 Purpura tincta rosas, niueisq; decora ligustris,  
 Nunc nisi funestæ pallida larua necis.  
 Tango manu, fors si qua salit vis ignea, venam:  
 Nulla sed exsanguis pectore vena salit,

Et ma-

## ELEGIA XI.

25

Et manus, eque manu tenues cecidere malignis  
 De dapibus micæ, si modò mica dapes.  
 Lumina fluxa natant: fractis mors hæret ocellis:  
 Pendula de fractis vita fugit radijs.  
 Nec spes vlla super. gremio mors incubat atra,  
 Singultusque trahit pectore semianimi.  
 Semineces gemitus, suspiriaque hausta querelis,  
 Quot vinctus clauso deuorat ore dolor!  
 Nec poris est vllò luctus vim frangere fieri.  
 Difficile est mediâ morte tenere modum.  
 Miror adhuc hunc stare gradu, nec ijsse sub orcum  
 Conscia periuri dum redit vmbra probri.  
 Dixerat, & tanquam moriens collabatur Agar:  
 Quemque gemit, nato concolor ipsa suo est.  
 Vix tandem tenues vires vt anhela recepit,  
 Hæc iterum trunco murmure verba refert.  
 Huccine spes vteri pulchrum maturuit olim  
 In florem, ah! fructu cogar vt orba mori?  
 Nec pudet expelli me, cui pudor integer, illo  
 Quo mihi pacta fides, & data dextra, toro?  
 Vir quoties dixit: mea spes tu Gnate nepotes  
 Mille seres, addes & mihi mille nurus.  
 Nunc erat alba rudi lanugo serperet æuo,  
 Implererque nouo flore iuuenta virum.  
 Iamque spei felix præludere cœperat ætas,  
 Cui viret in plenis succida vena toris.  
 At intempesto iam funere decumbendum.  
 Sic cadit immiti rapta iuuenta manu.  
 Sic memini seris violaria tacta pruinis  
 Verè mori, & carpi præcoce falce rosas.  
 Quid pomum viduas florentibus Aeole ramis:  
 Inque rudi pomi pignore poma metis?  
 Quam cadit ah sors ista meis præpostera votis!  
 Quæ rota dextra sterit, quam mihi læua cadit!  
 Ah! miseram miser ipse præis iam morte parentem  
 Quam decuit serâ te nece gnate sequi!  
 Aut si quæ niveis melior spes hæret in alis:  
 Si mala multa tuli, te duce plura feram,

B v

Infelix

Infelix hoc prole parens quæ nescia gaudî  
 Quod ferat è partu, iussa dolore mori est !  
 Sic lamenta trahit, fractâ sic voce querelas,  
 Visa parens, Gnato cum moriente, mori.

## ELEGIA XII.

1. *Incusat Abrahami leuitatem.*
2. *Narrat quomodo Angelus sibi olim persuaserit reditum.*
3. *Angelo imputat suas calamitates.*
4. *Optat semel morte vnâ defungi inter tot mortis causas.*

**S**ic Hebron, (a) patriosque focos eiuro, vel aras,  
 Orba peregrinâ puluis vt abdar humo ?  
 Aut vagor incertis, ceu cerua miserrîma, campis,  
 Cerua Palæstinis obuia præda feris ?  
 Nec bene quas nouit, premet ah ! miser aduena rupes ;  
 Bersabeas rupes, Abrabiumue solum,  
 Ergone adopto, nouis & do pia nomina sacris,  
 Vt pietas sanctam fallat iniqua fidem ?  
 Impia si pietas castos eludit alumnos ;  
 Eccubi cura fides ? eccubi certa salus ?  
 Mæsta sed in longas vbi verba retexo querelas,  
 Opprimat inuisus lumina fessa sopor.  
 Excipit ergo latus, somno vel mollior ipso,  
 Apta toris, picto quæ viret herba solo.  
 Hæc inter variâ dum ludit imagine Morpheus,  
 Meque tenet miris discolor vmbra modis :  
 Aliger interpret diuûm spem detulit astris.  
 Sed nisi spem, cæcum spe duce signat iter.  
 Ille mihi dixit, claraque refulsit in aurâ :  
 Curre redux : redutem præmia certa manent.  
 Vt quid enim malè fallis heram ? quid pignora Diuum  
 Temnis, & incerto limite vota trahis ?

Stat thalami secunda fides, stat gratia partus.  
 Præmia promissis vberiora tæres.  
 Dixerat, & ramo (ramum nam dextra tenebat,  
 Myrtus (b)erat) terigit pectora. fluxit odor.  
 Sentires fluxisse sinu de cælite Diuum:  
 Lenit enim longæ rædia dura via.  
 Credidimus diuis, Diuos quis credere falsos  
 Audeat? & diuos perfidus error habet?  
 Inde mihi molli deinulcens lumina virgâ  
 Excitat ab supero qui dedit orbe fidem:  
 Subridensque aliquid limis promisit ocellis:  
 Sit satis hoc: Abrahæ, cætera reddet amor.  
 Et simul ad Dominam faciles me flectere gressus  
 Imperat. Imperio cælite flecto gradum.  
 Effugio poteram tot fallere tuta labores:  
 Has sed in ærumnas triste retorfit iter.  
 Impulit in fraudem dextræ vox nuncia fortis,  
 Nos nimium vanis credula turba dolis.  
 Quam præclara sacer reditûs fert gaudia præpes!  
 Hei mihi pro votis qualia dona tuli!  
 Hostibus omne meis tam felix imprecor omen:  
 Quem mihi dat, Sarâin præmia ferre velim,  
 Ut semel incertis capi decurrere campis,  
 Cur non perpetuam mors dedit ire viam?  
 Exsecror ad Dominos vestigia flexa pexates:  
 Maluerim spinis implicuisse pedes.  
 Utilius quis sponte fugit, neque suscipit impar,  
 Et quod ferre piger triste laboris onus.  
 Quid nisi bella domi, rixæ, labor, ira, tumultus,  
 Imperiosa trucis cuncta tyrannis heræ?  
 Et nunc ærumnis pressam tot vbi que cliquem,  
 Rursus in ærumnas altera noxa rapit.  
 Omnia mors, diræ, luctus, nox, planctus, & angor,  
 Et de morte graui nocte sepulta salus.  
 Nec spes vlla domi, nec spes foris vlla superstes  
 Vndeliber fugiam, quaque lubebit eam.  
 Quos modo festiuo dederat puer ore lepores,  
 Nunc fors in gemitus vertit acerba suos.

Quam

Quàm citò præcipitem deuoluit ad ima ruinam  
 Quæ steterant summo, gloria prima, gradu  
 Sic vidi Libani quæ surgit ad ardua Cætrum,  
 Ad Borean imo decubuisse solo.  
 Fasne, piæque pures sic, ah! scire parentem,  
 Se miser in Gnato perdat ut ipse suo;  
 Ceu pudeat genuisse (furor sic mutat amorem)  
 Gloria quem primum gignere prima fuit?  
 Ingenuo diues cui purpura floruit auro,  
 Nunc lacet in panno paupere squalor habet.  
 Vnius in miseræ feruæ caput auspice cælo,  
 Tot tulit vlla dies damna, vel vlla feror?  
 O vtinam teneris me mors rapuisset ab annis,  
 Struxissetque meo grata sepulcra toro!  
 Quæque breuis teneros attingit fascia lumbos,  
 In laqueum, & lethi vincula verla foret!  
 Aut saltem miseræ (quamuis sit triste leuamen)  
 Contegeret cineres patria gleba meos!  
 Quid moror, & nec dum grato caput abdo sepulcro,  
 Ut pudor indecoris coniugis ossa tegar?  
 Sol quid adhuc spectas innisa hæc nomina cælo?  
 Nec cum matre puer funebris vmbra iacet?  
 Crescite, crescite vos lacrymæ, simul ire medullis  
 Omnibus, vber eat vrna doloris Agar.  
 Ah! mera si nubes oculus, sit tristis & imber:  
 Cur hilarem tristi spectet in imbre diem?

- (a) *Apud Hebron urbem habitauit Abraham.*  
 (b) *Myrti ramus in manu, tollit lassitudinem.*  
 Plin.

ELEGIA

## ELEGIA XIII.

1. *Advocat felices matres ut sibiipsis gratulentur.*
2. *Suam infelicitatem plangit.*
3. *Divortium ab suo Abrahamo vix sustinet.*
4. *Timet è suo exsilio falsam nomini suo infamiam.*

Dicite festivi vos, lactea turba, puelli,  
 Quis strepit è balbis garrula lingua labris?  
 Dicite iucundæ lætæ cum prole parentes,  
 Dulcia quis vteri præmia pascit hymen:  
 Dicite vos tandem, quis aurea ducitur ætas,  
 Nobile par fido vir, mulierque toro:  
 Num magis infelix quid viderit ullus Eous  
 Quàm miseram Syrio quæ fugit orbe nurum?  
 Hæc ego, quæ claro nuper sua vita marito,  
 Nunc odium, & mortis lugubre nomen Agar:  
 Nescio quid merui, nisi sit meruisse piaculum:  
 Gaudia prima rudi me pepigisse toro,  
 Et pepigisse fidem (vos ô vos conscia testor  
 Sidera) quæ nullo dissoluenda die est.  
 Et tamen implexo quam vis adamantina nodo  
 Strinxerat, abruptit liuor, ut hydra, fidem.  
 Ardeat invidiâ diro sata Sara chelydro;  
 Non ego quæ blandi nomen amoris eram.  
 Sumat & innocuâ lævas ab coniuge pœnas,  
 Vtque lubet, noceat, cui nocuisse negem.  
 Iam dudum timui, matura quod hora furori  
 Attulit. hoc sed enim quid timuisse iuvat?  
 Ter conata fui tristes eludere casus:  
 Ter male conantem spes retrò lapsa fugit.  
 Evénit, quid plura? meæ tot ad omina cladis  
 Flens dixi: in lacrymas protinus ite genæ.

Cur



Cur modò læta parens, tædasque experta iugales  
 Legitimo pellor, ceu lupa fœda toro ?  
 Et ceu serua nigris designor adultera seruis ?  
 Et populi fannis publica probra luo ?  
 Dicat & in medijs obscænus fannio turbis :  
 Hæc Agar illa Syri nobile crimen heri.  
 Iamque adeò quam longa paret nox tota, doloris  
 Effluat in nimbos, nec minus atra dies.  
 Mœror amat lacrymas, mœror sua vulnera narrat,  
 Mœror alit curas, cor graue mœror edit,  
 Qui mihi stat vitæ finis, mœroris & idem  
 Terminus in tristi puluere lætus erit.

LIBRI

## LIBRI SECVNDI.

## ELEGIA PRIMA.

1. *Solitudinis arumnas describit.*
2. *Pericula à feris exaggerat quæ non tam sibi, quàm filio deprecatur.*
3. *Irridet hac è victoriâ Sara triumphum.*
4. *Culpam Ismaëlis, si qua fuerit, eleuat.*

**E** Cquid agam? quò sola ferar? vacat indiga tellus, x  
 Non via pressa viro, signa nec vlla canum.  
 Omne latus cingit diffusis æquor arenis:  
 Omnia sol, ardor, puluis, echidna, situs.  
 Quid nisi qua fo mer e, nulli sola rrita, tenebræ,  
 Nota quibus nusquam semita dicit iter?  
 Vel medio sub sole gradum nox cæcat, & error.  
 Quæ regat ergo viam, pro duce stella micat?  
 Nulla micat, tantum sol improbus vrit arenas.  
 Quo magè sic vrit, quo magè durat iter.  
 Emulgetque cauis si quis liquor humet in aruis,  
 Decoquit & glabro si qua stat herba solo.  
 Mica nec vlla dapis, nec gutta remulcet aquarum  
 Aridaque ossa siti, squallidaque ora fame.  
 Hac fors dira tenus, quam vel meminisse dolori est;  
 Et mors longa graues iam tot obisse vias.  
 Nec tantum memini quos iam sum passa dolores:  
 Sed quoscumque queat mater, & orba pati.  
 Occurrunt varijs armata pericula monstris:  
 Mille mihi mortes heu! mora mortis habet.  
 Hic vbi non Pardi rabies furit horrida visu?  
 Hic vbi non Pardo sauior ira, Tigris?  
 Monstriferis vbi non occurrit terror in aruis?  
 Sors bona si qua fauet, plus fauor ipse nocet.

Eccu

Eccui non tandem me vita referuat hyæne? (a)  
 Eccui non vrsò victima prompta puer?  
 Hæc pueri facies, matrisque miserima: torret  
 Siria flama caput, mordet echidna pedes.  
 Imploro Superos, imos imploro; nec vsquam  
 Aura, vel vmbra spei spondet amica fidem.  
 Altius exclamo: sed vanus it æthere clamor,  
 Ni fortasse truces euocet ille feras.  
 Aut hinc, aut isthinc venturos suspicor vrsos,  
 Qui lacerent rabidis pectus inermis modis.  
 Nil moror; ille meus seruæ sine pondere sanguis  
 Si data præda feris sit, cui danda fuit:  
 Sed queror Abramidem cui par sit gloria cælo,  
 Prò scelus! indignis occubuisse modis.  
 Ah! puerum pardi videor vidisse cruento  
 Vngue rapi. an fallor? quo rapit vngue tenet.  
 Arabijs iaceat cinis hic inhonorus arenis,  
 Ille Palæstini qui prius orbis honos?  
 Vltimus ergo dolor mihi sit, modò prima voluptas  
 Hic puer, & tantis noxa pianda malis?  
 Scilicet egregios referes hinc Sara triumphos,  
 Palma quibus lætas floreat ante fores:  
 Si cum matre puer nudis occumbat arenis.  
 Quam tibi magnificum seruula iussa mori!  
 Præclarum facinus, duo si pereamus in vno:  
 Vna vel in gemino corpore vita cadat.  
 Quique prius pius ille parens, sis impius hostis:  
 Et tuus è gemino funere sanguis eat!  
 O potius serua geminas, tua pignora, vitas!  
 Quæ dederas coniux, da modo dona pater.  
 Vt quid enim perdas miserum, tua viscera, Gnatura?  
 Vrere vis messes bis miser ergo tuas?  
 At sic Sara iubet: quis Saræ impune furorem  
 Tennat, in immanes cui tonat ira minas?  
 Quæ quasi blanda parens fuerat natalibus horis,  
 Hinc Sara fit Gnato sæua Nouerca meo.  
 Nempe meus sibi grande nefas consciuit alumnus,  
 Masco Ismaël par quia frater erat,

Vtque

## ELEGIA III

33

Vtque solent pueri, fratri colludere frater  
 Gestit, innocuis lætus uterque iocis.  
 Ludus & hic infons, dignum si morte piaculum est,  
 Quale putas Saræ sit furor ergo scelus?  
 Hinc rea mors Gnati est: sed vincet multa furorem:  
 Ultorem hic hominem quærit, at illa Deum.

(a) *Hyena, in Sacra Scriptura lupus vespertinus,  
 seu Arabicus, asperrima fera, voces humanas  
 emulatur, ut fallat. Plin.*

## ELEGIA SECUNDA.

1. *Agar itineris molestias, & pericula enarrat.*
2. *Deplorat Ismaëlis ærumnas, & posteritatis  
 spem falsam.*
3. *Subrepat serpens puero ut calcem appetat.*
4. *Saram isti serpenti comparat.*

**M**Os vetus est geminâ si lis de coniuge feruet, 17  
 Quo sedet hæc coniux, pellitur illa toro,  
 Vna sibi geminam non pascit Erythæon arbor. 20  
 Et rupes aquilas non alit vna duas,  
 Nec geminos vno sol sustinet æthere soles. 25  
 Par ius imperij scaudere nescit honos,  
 Sic Agarem nec Sara pati potis: expulit hostem  
 Nempe domus dominas non capit vna duas.  
 Intereâ longos exhauriet vsque labores  
 Vita, per ærumnas euoluenda suas,  
 Terra nouis terris mutanda, nouoque sub astro  
 Sol nouus, inque nouis iam noua Luna plagis.  
 Et nusquam est, & vbique, vagus quem distrahit error: 30  
 Attamen occurrit tristis vbique dolor. 35  
 Cernis vti nudas quo sol hinc torret arenas,  
 Torrat igne pedes, torreat igne caput?

Cernis

Cernis vt attollant procul horrida colla dracones ?  
 Et propè triste tigris turbida radat iter ?  
 Quid querat hic nullis salientia saxa scatebris ?  
 Vlla nec è sicco puluere farra meti ?  
 Vnde puer , puerique parens solatia vitæ  
 Quærat, & alma grauem leniat esca famem ?  
 Heu! nunc Abramidem (quis crederet hospes?) alumnū  
 Spes fugit omnis aquæ, spes fugit omnis opis :  
 Spes fugit omnis opum , cui purpura fulsit & aurum,  
 Et patrio fluxit gaza beata sinu :  
 Spes fugit & vitæ, fugit & spes sera nepotum,  
 Sic pater Abramidum postera sæcla seret ?  
 Sic breuis immensæ sibi surculus arboris omen  
 Parturiet, si spes vix fata, iussa meti est ?  
 Scilicet Abramæ soli stirps plurima stirpi  
 Adferet; hic ramus si breuis vmbra cadat,  
 Ast vbi funestis sic astra fatigo querelis,  
 Appetit incautos vipera surda pedes,  
 Fœnè procace solum defixit dente chelydrus ;  
 Triste sed auertit præuia cura scelus.  
 Fallere mors dixi , non est scelus istud echidnæ,  
 Sed Saræ ; hæc trepido tristis echidna pedi.  
 Sara Draconigenas infestis dentibus iras  
 Armat in exitium non magè Sara meum.  
 Dixerat illa fremens , frendensque, asproque remandens  
 Dente minas, diuos impia in ausa vocat,  
 Quæ non probra parit scelerata calumnia Diuis ,  
 Ausit vt in Saram tam graue crimen Agar ?  
 Nec metuit caput Abrami desigere diris :  
 Inque ambos Stygias deuouet ira faces,  
 Quidquid & horrendis furor imperat arbiter ausis ,  
 Adiurat superos, id rea Sara gemat.  
 Scilicet in caput alterius scelus ira reuoluit  
 Ipsa suum, & quod agit, vult luat alter opus.

ELEGIA

## ELEGIA TERTIA.

1. *Agar quas interdum versavit curas, noctem  
retractat.*
2. *Deposcit iam caca præ fletu ab astris radium,  
ut filij mortem spectet.*
3. *Sole iam orto fingit omnia circum adspectu  
filij morientis ingemiscere.*
4. *Erumpit in Abrahæ execrationem ubi sub  
palmâ Ismaël præ siti animam agit.*

**E**cce Dionæum cælo sese exserit astrum,  
 Astrum, quo cæcos nox moderatur equos.  
 Iam silet omnis ager; sed non pia cura parentis:  
 Quæ de luce strepit, nocte silere negat.  
 Si modo non toto tum nox sit longior anno,  
 Dum memor in curas cura diurna redit,  
 Quam simul ac atrâ vidi sub sindone; dixi:  
 Quæ noctis facies, hæc mea mortis erit.  
 Ergo diu flendo nocturnas ducimus horas,  
 Dum mihi triste grauat lugubris umbra caput:  
 Si non exsequias misero magis imus alumno,  
 Quem nigra mors nigræ noctis imago premit.  
 Vos ô fiderei cælo qui curritis ignes,  
 Tuque adeo clavis Luna magistra choris,  
 Quis tua regna micant, de tot precor ignibus unum,  
 Vel radium lacrymis suffice Diua meis.  
 Ut spectem, claudamque gemens tibi Gnate, parentis  
 Hac moriente manu, lumina iussa mori.  
 Et dicam: extremum te mœsta quod adloquar hoc est.  
 Ah! potero? prohibet sed mihi posse dolor,  
 Nate vale, vale nate, tuam sic ergo parentem  
 Deseris, vngue feræ cœu lacer agnus ouem?

C ij

Hæc

Hæc inter viduum pernox vbi solor amorem,  
 Et breue posco iubar, nec tamen astra ferunt;  
 Sicca nec irriguo turgescunt lumina somno,  
 Nec labor inuitat dulce quietis opus.  
 Tunc Eos rediuiua nouos vbi colligit ignes,  
 Visa queri: vt quid adhuc Phœbe moraris equos,  
 Deque polo necdum funestas discutis vmbas?  
 Discutis, adlucet lampas amœna diem.  
 At puerum lacrymante sub arbore suspirantem  
 Sol simul adspexit, fluxit in imbris aquas.  
 Imber erant lacrymæ mœstus quas rorat Eous:  
 Sed falsæ vt lacrymæ, ros quoque falsus erat.  
 Quis potis ah! tantos pueri spectare dolores,  
 Nec fluat in tristes cor, niuis instar, aquas?  
 Bersabee deserta petiuerit vt puer exsul,  
 Viderat vt tigris cœpit acerba queri.  
 Quod si nunc videat (felici è stirpe puellum)  
 Luctantem morti pectore semianimi;  
 Pallidulasque genas seu languentes hyacinthos:  
 Luminaque extremo frigore fracta mori:  
 Credo Palaëstinis Tigrin aggemuisse leanis  
 Tum sociam: & paribus fleuit hyæna modis.  
 Si Tamarindis adest, & adest querulæ Tamarindæ  
 Palma, comes palmæ vel terebinthe vires;  
 Quot tibi stant frondes, linguas tot ijsse querelis:  
 Quot rores, lacrymas & tot ijsse teor,  
 Omnis & hic Gnati se curuat in oscula ramus  
 Pronus humi, puero dulcior ecquis amor?  
 Ipsa ego quin etiam vidi, capita ardua, rupes  
 In lacrymas oculos erudijsse suos.  
 Quippe specus oculi, queis fons & plurimus imber  
 Manat, agens liquidas vallis ad ima vias.  
 Eloquar? an credas? vos ô mea lumina testor:  
 Parcere visa, suum mors tremit ægra scelus.  
 Mortis & imperio rabies mitescit Hyæna,  
 Ac fauet humanis Pardus, & Vrsa modis.  
 Parcere & innocuæ tigres didicere puello,  
 Et patrio nullus viuit in ore pater?

Crudelis

Crudelis genitor, crudelis tu quoque coniux.  
 Par ut hymen, sic par iungit vtrumque furor.  
 Sed magè crudelis tu Sara Megera parente es;  
 Hic agit inuitus, Sara quod vrsit agi.  
 Quale nec ausit Echidnæis armata venenis  
 Eumenis in Diuos, Eumenidumque parens.  
 O superi! sic ante diem flos excidit æui,  
 Iam cinis? & magnæ gloria stirpis abit?  
 Hac ita sub palmâ, quâ non funestior arbor,  
 Reliquias animæ iam mea vita, trahis.  
 Quod non in facinus malesuada calumnia, blandis,  
 Quâ lubet, impellit credula corda dolis!  
 Extremos mi Gnate parens morientis hiatus  
 Ore legam, atque animæ pignora summa tuæ.  
 Hic umbras quot specto, necis tot & omina specto.  
 Hei mihi de palmâ qualia poma lego!  
 Heu! quasi Circæis, sub qua gemo, tacta chelydris,  
 Quæ modò palma, nocens iam mihi taxus erit.  
 Taxus Ituræum quam mors lunabit in arcum,  
 Ut simul hoc relo nate, parensque cadam.

## ELEGIA QVARTA.

1. *Agar Ismaëlis dolores describit.*
2. *Optat aliquid dapis, & potionis suggeri vel ab ipsâ palmâ sub quâ iacet.*
3. *Exemplo animalium docet educandam suam prolem parenti suo Abrahe.*
4. *Videt hinnulum procul à Leone discerpi: in eo similem sui filij ominatur perniciem.*

**A** H puer! ille puer, matri qui prima voluptas,  
 Ultimaque, æternus iam mihi luctus erit?  
 Hæc primæua fides Abrahæ, Abramidumque nepotum,  
 Arbitra cui rerum sceptrâ spondit honos.

C iij

Qui



Qui mihi subrisit placidis argutus ocellis,  
 Dum roseis arsit viuida flama genis:  
 Ah! fronti iam nullus honos, & gloria formæ!  
 Decolor exsanguis serpit in ore gelu,  
 Cernis vt ille latus tristes clumbe per herbas  
 Versat, & os inhiat quas bibat æger, aquas?  
 Nec potis est saliente sitim restinguere riuo,  
 Terra rot in fontes prodiga facta parens?  
 Et quantum fuerit fors vna, vel altera lymphæ  
 Gutta, sitibundas vincat vt illa faces?  
 Quantumcumque, tamen solatia magna putabo;  
 Succida sen ficus, siue racemus erit.  
 Poma tamen malim iucundis ebria succis;  
 Vt puer è pomis pocla sititor edat.  
 Et tu palma tui doni sis parca, nec vllam  
 Sufficis alma dapem, sufficis alma merum?  
 Nec miseret miseri, tua quem tegit vmbra puelli?  
 At sterili fraudas fronde salutis opem?  
 Videris haud æquis sub frondibus expirantem?  
 Credo, vobis fructus ilicò ferre tuos.  
 Nulla sed è sterili promittis munera ramo,  
 Nec sibi spem vitæ filius inde legit.  
 Vt vidi viduo sub termite decumbentem,  
 Triste caput furuâ mors cui falce notat:  
 Tum dixi, lacrymans simul ac nemus omne vel aruum  
 Adspexi, volucris quod pede præpes obit:  
 Inuideo, pia cura, rudi, quem pascit, alumno  
 Siue tuo turtur, siue columba tuo.  
 Pipio ieiuno si vagit anhelus hiatu,  
 Prouida ieiunam leniet esca famem,  
 Adspicis hanc vlmum? sterili quæ sidit in vlmò  
 Hospes, auem nûrrit Attiden Attis auis.  
 Imò rudi miluo (miluo quis iniquior auceps?)  
 Educat ipsa suâ morte columba dapes.  
 Et nec fas inopi (fors ô quàm dura!) parenti  
 Vel dare de lacrymis pabula parua suis?  
 Humano prò quale sedet sub corde piaculum?  
 Mitior in bruto pectore regnat amor.

O quan.

O quantum licet inuidiæ, cæcoque furori!  
 Quod scelus in seruam est ausa tyrannis heræ!  
 Lactea dum cupidis influxit vena labellis;  
 Candidus, Abramidum gloria, Gnatus erat.  
 At niger ille scabris iam squallor & horror arenis.  
 Sit mihi mors Gnati dira, supremus honos?  
 Pascere nolle parum est: nouus at furor inde furorem  
 Pascit adhuc, odijs perdit vtrumque suis.  
 Fortè Palæstinis vbi ceu fera palor arenis, 4  
 Metanturque vagis lumina nuda plagis;  
 Hinnuleum furuæ discerpi dente leænæ  
 Vidimus, ater adhuc proluit ora cruor,  
 Et laceros duris sub dentibus emolit artus,  
 Ossaque crudeli pabula facta feræ.  
 Tum dixi: miserum fors quæ premit aspera ceruum,  
 Hæc eadem Gnatum nunc manet atra meum,  
 Meque super, nec enim rabido me terret hiatu,  
 Quem procul abs Arabo palleo monte Leo.  
 Et certè furit ipsa parem Sara sæua furorem  
 Ceu lea, ni maius dixeris esse scelus.  
 Sin autem rapido nec dum leo dissecat vngue;  
 Non bona fors seruat, sed bonus error habet.

## ELEGIA QUINTA.

1. *Sub arbore Ismaël siti exarescit.*
2. *Ismaël queritur nusquam aquæ spem adfluere.  
 matri valedicit.*

Est vbi stat densis arbor viridissima ramis, 1  
 Vdaque gramineo cespite ridet humus.  
 Hic torus adsurgit violâ depuber, & herbis,  
 Et struit accliu mollia strata solo.  
 Huc proserpit agens lento vestigia passu  
 Agar, anhelanti pectore semianimis.  
 At puer ægra haurit alto suspiria hiatu,  
 Imbre rigante genas, imbre rigante sinus.  
 C iiii Paluereoque

Puluereoque situ niger ardet ad humida fontis :  
 Nullus at hic riguæ fulcus aderat aquæ.  
 Exclamat : sitio mihi quis fons opprimat ignes ?  
 Ah ! sitio, sitio, vox morientis erat.  
 Ah ! sitio : tenues sitis ebibit hausta medullas,  
 Ebibit & venas ignea vena meas.  
 Mater vbi es ? mihi nullus opem ? mihi nullus aque spēs ?  
 Nunc vbi matris amor ? mater & ipsa peris ?  
 Vtris vbi modò fluxa fides ? vbi cura parentis ?  
 Omnia nunc siccus puluis, & ardor erunt,  
 Non his gutta liquens folijs exsudat, & austris ?  
 Vlla nec immensis stilla su perstes agris ?  
 Nulla super : sed tu dictis Abrahame maneres,  
 Fons Syrius patrijs ora rigaret aquis.  
 Ferrea nunquid hiems terris stat, & ænea cœlo ?  
 Quid? cœlum & terras num rigor vnus habet ?  
 Myrreus elacrymat lacero de cortice sudor,  
 Omnis & in lacrymas quas bibit arbor abit,  
 Dura silex molli simul exprimit vberè lymphas,  
 Quin etiam cœlum fundere nouit aquas.  
 Nec mihi terra parens, ceu cos stet ferrea, sicco  
 Nescio quid liquido promit auara sinu ?  
 Tuque adeo mater, quo non mihi dulcius vllum,  
 Nomen, adhuc tardas quam sitis ardet opem ?  
 Æternum nunc ergo vale, vale nescia vitæ  
 Mater, & in gnato iam moritura tuo.

## ELEGIA VI.

1. Agar mœror de morte filij.
2. Adit morientem, & quis dolentis habitus fuerit describitur.
3. Credit Agar ipsas feras sui filij mortem deplorare.

**M**ater vt accepit morientis vota puelli,  
 Excidit, exsanguis currit in ora color.

Qualis

## ELEGIA VI.

44

Qualis atrox vbi sævit hiems, impallet oliuis,  
 Qualis & Auctumno decolor vna gelu est,  
 Vtque animus redijt, imis vox faucibus hæsit.  
 Ora fluunt lacrymis, cætera torpor habet.  
 Pro verbis lacrymæ, moriens exspirat acerbum  
 In gemitum, Gemitus signa cadentis erunt.  
 Diripit informi laceras ab corpore vestes,  
 Vngue secante genas, vngue secante comas,  
 Nuda simul duro contundit pectora planctu,  
 Nubilaque implorat sidera delacrymans,  
 Stringensque amplexu miserabile pectus alumni,  
 Surda parum sanctas mittit ad astra preces  
 Crudelisque Deum vocat, ah! crudeliaque astra:  
 At magis crudelem quo fuit orba, virum.  
 Sic gemit ægra fremitque; stetit dein obruta luctu;  
 Vt stetit; ima redux currit in ossa dolor,  
 Et rursus sicjorsa queri, moribunda retractat  
 Verba trahens lentis impedienda moris.  
 Si sedet ah miserum dirâ nece perdere Gnatum,  
 Vt quid adhuc seruo bis moritura parens?  
 Dimidium tu nonne tuæ mi Gnate parentis,  
 Si non & potior pars sine matre peris?  
 Vox stetit hic; timideque ægrum respexit alumnum:  
 Imus adhuc tenui palpitat igne sinus,  
 Vt ventum propius; pallentis ia ora recumbit  
 Pectore multa legens oscula, multa genis,  
 Tangit amans, nec tangit amans, timet ipsa quod audet;  
 Et re vocat digitos vt tetigere sinum.  
 Horruit ad glaciem, stansque alto in pectore frigus:  
 Tamque gelu est mater, quam gelat ipse puer.  
 Rursus adit, rursusque parens timet ægra, quod audet;  
 Quodque sat ausa, timet; spesque metusque secat,  
 O ne tange, timor prohibet, spes tangere suadet:  
 Sed quid? adhuc tangat quod tetigisse dolet?  
 Flens tamen ah! tangit: rursus dolet anxia tactu,  
 Et piget ad pectus ferre, referre manum.  
 Quid tibi rum mentis? quis sensus ad algida lethi  
 Omina? quisue tui pectoris ardor erat?

C r

Iam

Iam iam venturam tremis ah ! tremis anxia mortem,  
 Scilicet hinc summum frigus in ore notas.  
 Mortis ad hoc nomen tu pallida semper, vti mors.  
 Sed tremis ægra metu, cætera mortis habes.  
 Spiritus heu ! tenues abit extenuandus in auras  
 Quem lacrymans auido quæ fugit ore, legis.  
 Adspirasque nouam calefacta per oscula vitam,  
 Suauibus est auris suavis alendus amor.  
 Hanc spectasse piget ( nec enim stat cernere lethum )  
 Nunc placet; alternus cor tibi versat amor.  
 Videris vt lasso extremus luctetur hiatu  
 Halitus ; incipies protinus ipsa mori.  
 Videris extingui fracto iam lumine vultum ;  
 Dædalis optabis te procul ala vehat.  
 Videris elumbi prouolui pectore corpus ;  
 Te puer heu ! imâ deprimer imus humo.  
 Scilicet æquus amor si dat cum prole parentem  
 Viuere: par mortis lex dat & ambo mori.  
 Hæc matris facies , ægroque is pectore sensus :  
 Mens defixa stupet, sed fuga corpus habet.  
 Nunc perstat, ram dira necis ne criminia spectet,  
 Nunc redit, & rediens oscula blanda rapit,  
 Nec magè iam roseis radijs sol pingit Eoum :  
 Errat, & in noctem lampas Eoa cadit.  
 Rebus enim dolor obscurâ sub nube colorem  
 Subtrahit, & densis lumina cæcat aquis.  
 Vt fugit in Gnato tenui fibra languida pulsu :  
 Sic in matre fugit frigida vena metu.  
 Quique color puero est, is serpit in ora parentis.  
 Vidit vt in Gnato ; sic perit ipsa suo.  
 Et sub qua moriens decumbit in arboris vmbra ,  
 Concolor ipsa parens mortis & vmbra iacet.  
 Præque metu pulsus venis fugit, & fugit omnis  
 Corde calor: tenuis vix sedet aura labris.  
 Crediderim tremulis arbor micat anxia ramis,  
 Et folijs tristes illinit ægra notas.  
 Aura simul mæstos spirat queribunda susurros :  
 Imò gemens sicco fleuit arena solo.

Fleuit,

Fleuit, & vt flentem puerum conspexit ædon,  
 Flens, palmam lacrymas edocet ægra suas.  
 Erudit & mimas dolor æmula saxa querelas  
 Queis oculi fontes, fletus vt vber ear.  
 Tantus habet terram mæror moriente puello.  
 Primus Abrahamia flos vbi stirpe cadit,  
 Id patris facinus, qui parca viatica Gnato  
 Dat stipe tam tenui, quâ iuuat arte, nocet.

## ELEGIA SEPTIMA.

1. Optat Agar sibi rursus ubera lactea distendi  
 vt ea sitienti Ismaëli emulgeat.
2. Saltem velit sibi à ferâ rescindi pectus vt truo-  
 rem loco lactis suo nato sitienti infundat.
3. Tandem exoptat in lac suas lacrymas trans-  
 fundi.

Siccine ieiunis vri mea viscera flammis ?  
 Me mea sic Gnati torret iniusta sitis ?  
 Perque meas lacrymas, si non & triste sepulcrum,  
 Præproperæ mortis limes agendus erit ?  
 Heu ! heu ! quæ teneris iam pestis, & Aetna medullis  
 Sive meis sæuit, seu magis Guate tuis ?  
 Quo de fonte bibam ? quo flumine frigida flammis  
 Gaudia ? quoue lacu iam sequar imbris aquas ?  
 Cur mihi vitales saltem non iurget in haustus  
 Vber, & emanans vberè promus Amor ?  
 Quæ pia lac avidis immulsit alumna labellis  
 Copia, fœcundo cum stetit alma penu,  
 Nunc vbi sicca fames ardentès decoquit artus,  
 Lactea nulla meo pectore vena salit.  
 Cur natura parens parcis malè comprimit vnīs  
 Flumina, quæ pleno fonte perenne fluunt ?  
 Vt quid auara pijs lac abdicat omne mamillis  
 Ante parens, Gnato facta nouerca meo ?

Nunc

Nunc igitur pro lacte dolor de corde cruorem  
 Exprimat, & niueo nectare vertat amor.  
 Iustus amor iustis dapibus quo pascat alumnum.  
 Cur peperit huic vitam, quam peperisse rapi est?  
 Dulcia subrigui vos vbera currite fontes,  
 Currite, quâ blandi cursus amoris agit.  
 Sed quid ego stantes votis impello scatebras,  
 Spes vbi de sicco pectore nulla fuit?  
 Non reuocat profugas petrâ fons defluus vndas,  
 Nec reuocat riuos arida vena suos.  
 Quid super? ô aperi rapido mors pectora ferro:  
 Sic cruor i, niueus deque cruore liquor.  
 Quid vetat irriguo saliens de vulnere sanguis,  
 Rursus in alma pij pabula lactis cat?  
 Nonne memor natura parens, queis paut, alumnis  
 Quæ semel alma dedit munera, sæpè dabit?  
 Nympha semellargas fonti si fuderit vndas,  
 Prodigia nonne nouas vrnâ refundit a quas?  
 Nonne cauo sulco campus quem findit arator,  
 Hic sata farrâ tulit, iste serenda feret?  
 Nonne sat vt fructu ver induit vberè florem,  
 Fructus ab auctumno sidere stipat opes?  
 Et quid ni puero fons adfluat almus amoris,  
 Si meus in pueri vota perennet amor?  
 Si tamen aruerit fœcundi copia lactis,  
 Inuideatque pias fors malesuada dapes:  
 Vltimus ergo meis nunc terminus esto querelis,  
 Qui fuerit vitæ terminus ipse meæ.  
 Aut saltem lacrymas violet mihi nullus amaror,  
 Has sed vt opto, fauis condiat almus amor.  
 Tunc ego quàm felix mutarem lactis ad imbrem  
 Vbera luminibus, luminaque vberibus!  
 Sed quid amara meis inserpit vena querelis,  
 Et temerat lacrymas pestis acerba meas?  
 Has aloë, has terræ fel, has colocynthis amaris,  
 Et quasi myrrha, dolor sæpè venenat aquis.

ELEGIA

## ELEGIA OCTAVA.

1. *Agar sibi mortem imprecatur.*
2. *Docet ne pecudes quidem si viderint, sustinere posse filij mortem.*
3. *Detestatur suum in Abrahæ domum aduentum.*
4. *Agaris dolor externus.*

## VOX AGARIS.

**V**T quid adhuc lentæ ducō tot sæcula mortis,  
 Nec lachesis vitæ fila caduca secat?  
 Hauriar ô auido refuge telluris hiatu!  
 Vel caput hoc atro mergat arena solo!  
 Sirius, aut rapido sol decoquat igne medullas!  
 Diripiatque vnco dente Leæna latus!  
 In caput inuisum cælestes imprecor igneis,  
 Imprecor & dirum mors fera quidquid habet.  
 Ah! ah! seminecis spectem morientia Gnati  
 Lumina funestâ uube perennè premi?  
 Si qua bidens propiore legit fors gramina prato,  
 Quæque tumer pleno feta capella sinu;  
 Viderit ah! puero macies vt torrida malas  
 Exedat, & sicco quæ sedet ore fames;  
 Crede mihi, nullum tanger pecus obuia gramen;  
 Ægra siti & fontis respuet omnis aquas.  
 Vt quid adhuc igitur tu Tityre, siue Menalca  
 Dux agis huc pastum quò vocat herba, gregem?  
 Sol alijs redeat, lucis qui gaudia spectent.  
 Alba dies Gnato nox venit atra meo.  
 Sensus vt omnis hebet, fractusque vt languet ocellus,  
 Lingua simul tristi glutine vincta stupet.  
 Extremusque breuem retractat anhelitus auram  
 Pallidulis labijs, languiduloque sinu.

O cga



O ego ne Pharios liquissem cœca penates,  
 Exsul, inops Arabo nunc ut in orbe cadam!  
 Cur tetigi Syrium, mihi dura pericula, limen,  
 Et coniux Syrio limine læta steti?  
 Non iam doris egeus fugerem sine coninge coniux,  
 Nec fuga par gnati matris imago foret:  
 Inque feram raperem mecum mea viscera mortem.  
 Gaudia cur pepereris, si peperisse dolor?  
 Illa ego præclaro nurus ante superba marito,  
 Nunc humili iaceam nomen inane solo?  
 Sed quid adhuc breue mortis iter moror? eia supremū 4  
 Tolle metum, quid mors tot parvis usque metus?  
 Dulcis mors fuerit (superes modò Gnate parenti.)  
 Scilicet in Gnato tota superstes ero.  
 Hactenus infelix desertis mater arenis,  
 Quam procul ab Gnato, tam propè visa mori.  
 Dixerat, & durâ dumî subsedit in umbrâ.  
 Quæ dumî facies, cordis & illa sui est.  
 Asper enim densis ut dumus inhorruit hamis:  
 Sic sibi stant duris obfita corda malis.  
 Caligant oculi funestum mortis in omen,  
 Queis sua lux Gnatus flebilis umbra perit.  
 Et nunc ille iacet, collapsaque lumina cælo  
 Attollit moriens, heu pia mater ubi es?  
 Mater ubi es? tuus en, languenti lumine quærît  
 Te tuus Ismaël: nec pia mater ades.  
 Et tamen immemoremque sui, immitemque parentem,  
 Ut potis est, rauco murmure sæpe vocat.  
 Te sibi poscit opem mater, solatia tanto  
 Ardori, letho frigida lingua rogat.  
 Est aliquid suprema loqui, carosque videre,  
 Et deploratum non sine teste mori.  
 Quod si forte prius mutarit morte dolores;  
 Materna claudes lumina fracta manu.

ELEGIA

## ELEGIA NONA.

1. *Angelus Agari apparet.*
2. *Agarem solatur.*
3. *Fontem indicat unde Ismaël sitim restinguat.*

S Pes vbi desertis iam deferit omnis in oris  
 Heu miseram ! miseræ tunc nec opina redit.  
 Sic equidem ( vanam nec ludit opinio mentem )  
 Auguror. augurio spes dedit alba fidem.  
 Suspiciis aëriâ pendentem rupe capellam,  
 Quæ sequitur nudo gramina rara iugo ?  
 Ah ! timeo ( en vasto præceps decursus hiatu )  
 Iam iam casuram , nec tamen illa cadit.  
 Hæc tua fors Agar Arabicis vbi cautibus erras,  
 Et stat inaccessibleis pendula vita iugis.  
 Hæret in hac caprea gnati morientis imago,  
 Quem gemis ægra mori ( mors fuge ) sospes erit.  
 Ecce repens cælo tibi lux aëlapsa sereno.  
 Vanus an id somnus ? somnus opinor, erat.  
 Ast aliquid maius somno lux annuit, albo  
 Lapsa polo ; ni mens exfulis exsul abit.  
 Crede mihi, plus est quam quod videatur hic ignis,  
 Vana nec incassam ludit imago fidem.  
 Vox sub luce vigil quæ nescio perpulit aures.  
 Somne vale. diuûm nuncius ales adest.  
 Ille vides ? pictis præfulget discolor alis,  
 Et micat auratis plurima gemma comis.  
 Os oculosque Deo similis, viridiq̃ue iuuentâ  
 Floridus: ambrosio pectore spirat odor.  
 Spirat odor, blandis ægram qui mulceat auris;  
 Qualis Arabs medico qui fluit imbre vapor.  
 Insuper æstiuum res temperat algidus ignem.  
 Quem spargit riguo mobilis ala sinu.  
 En animus viresque pio rediere sub imbri,  
 Attollitque solo languida colla parens,

Tunc

Tum sacer interpres Diuûm sic inquit ab alto  
 Aurea sidereis cui vibrat aura comis:  
 Anxia pone merum, ridet iam mitior æther:  
 Terra fauet votis: anxia pone merum.  
 Ibit in exemplum fecundis matribus olim,  
 Cui latus innumerus cinget vtrimque nepos.  
 Mitte gemens tenero modo si qua pericla puello,  
 Quæque teris nudo flets sola sicca pede.  
 En tibi quod nescis, fontes qui librat aquarum,  
 Currere iussit aquam, iussa cucurrit aqua.  
 Hic vbi nunc siccas oculis bibit æger arenas,  
 Qui tibi cor ardens temperet, humor erit.  
 Spes viger huic vitæ siccis rediuiua medullis,  
 Vt virescât irriguis, quæ seges aret, aquis.  
 Dixerat, & fonti qui plurimus vndat in auras  
 Intendit digitum: mox celer ales abit.  
 Sic vbi spes terris nusquam spem suggerit, æther  
 Si non imbre nouo, fonte propinat aquas.  
 Scilicet humanis vbi deest fiducia voris,  
 Spes ibi diuinam sufficit vber opem.

## ELEGIA X.

1. Fons describitur.
2. Inde bibit cum matre filius.
3. Ismaël iam satur, fonti bene apprecatur.

**Q**ui sitiente diu cæpes squalebat arenâ,  
 Manat, & indigenis fons virescât almus aquis.  
 Perspicuoque oculos hyalo, gelidisque scatebris  
 Inuitat vapidis ora deûsta rogis.  
 Naiades exsultant circum, Dryadesque puellæ:  
 Si qua tamen sicco fors Dryas orbe virescât.  
 Hunc simul ac oculis hausit sitientibus hospes,  
 Grandi qui macie torridus ardet aquas:

Reliquias

## ELEGIA X.

49

Reliquias animæ mox colligit, & respirans  
 Dixit, in hoc riuo iam mea vita natat.  
 Quis Deus, ô Superi! tantos largitur honores,  
 Exul vbi nutrix, exul alumnus abit?  
 Hæc puer: his & plura parat, sitis vrit hiantem;  
 Tantum non miserum cogit anhela mori.  
 Aduolat ergo parens, puer aduolat ocyor hinno;  
 Hinno, qui pueri radit vt umbra, latus.  
 Cuique teres teretes artus inspicat arundo,  
 Et fontis gelidas faucibus ardet aquas.  
 Nulla caput tristi mors iam grauat atra cupresso:  
 Ast hilarat puro qui micat amne dies,  
 Gelidasque obducit aquas sitiente labello,  
 Ni magis vndanti deuorat ore sitim.  
 Illicet vt dulces hausit satur aduena lymphas;  
 Visa fuit vitreos fundere Nympha fauos.  
 Vtque adeo res grata latex torrente sub astro;  
 Vt sitis exsanguis ebibit ima sinus.  
 O quam dulcè sapit fugiens crystallus in ora!  
 O quibus illecebris liquitur inde iecur!  
 Et iam mens rediit, redijt vis feruida venis:  
 Et iam stat roseo qui stelit ore, color:  
 Tum satur Ismaël, liquida ceu nectare Diuum,  
 Vota facit lymphis lymphidiora suis.  
 Quid tibi vis voueam, fons ô dulcissime rerum,  
 Vnde redit venis lymphida vena meis?  
 Tu mihi nutricis vel dulcius vbere nectar:  
 Plus mihi mille fauis, gutta vel vna sapit.  
 Paruus abis fateor, parua nunc sulcus aquai,  
 Et vix summa meum subluit vnda genu.  
 Opto cauis laras infundat limes arenas,  
 Plurimaque in lato limite Nympha fluat!  
 Nolo ruas niuibus satur, & sine flumine torrens,  
 Neue trahas crasso putida stagna luto.  
 Sed fluat illimi liquor hinc argenteus aluco,  
 Qualis it Alphæo, qualis it vnda Pado.  
 Qualis & Elysio fons fluxit amænus in horto.  
 Quadri fidoque suas limite fudit aquas.

D

Ave

Aut potius liquor argento se diuite vertat.  
 Calculus hic omnis cui mera gemma foret.  
 Vnde corona fluat castis argentea Nymphis,  
 Et dos sacra Deo, cælite digna tholo.  
 Hastenus argento liquido tibi fluxerit vnda;  
 Vt bibero, flauis aureus ibis aquis.  
 Ergo bis inde bibam: Nais fluat vber in auro,  
 Quod dat larga Midæ; num mihi parca neget?

## ELEGIA XI.

1. Ipsa etiam Agar fonti felicia vota nuncupat.
2. Optat odoratis prætexi stirpibus.
3. Itē, ut Nilo & quouis amne largior decurrat.
4. Marmoræam Pietatis statuam illi vouet dedicari.

**C**VI sibi non vitreus modò qui natat aduena cæpo,  
 Fons hic amnigenas auctus adoptat aquas?  
 Latius ut ripis diffusa capacibus vnda,  
 Augeat irriguis arua beanda vijs;  
 Largius & Pharias Nais decurrat in oras,  
 Hac vbi me saluum Naiade fama canat.  
 Nam decet, ut castas tangat quoque gloria Nymphas.  
 Vbera dant Nymphæ, quæ pius ornat Amor,  
 Nempe sciunt puero gelidis dare pocula riuis,  
 Infanti puero, cui comes ægra parens:  
 Post Arabis ut magnus eat regnator in aruis  
 Abramiâ Ismaël nobile stirpe genus.  
 Hoc de fonte suos arbos vbi plurima succos  
 Ducet; in immensum crescet amœna nemus:  
 Sequæ Syras olim latè diffundet in oras.  
 Quot serit hæc ramos, sceptrâ tot inde legas,  
 Hanc igitur Nympham viridi cole fama coronâ,  
 Cui pius incaluit, dum puer arsit, amor.  
 Quæque meum pueri sensit, doluitque dolorem;  
 Vnde mihi faciles larga profudit aquas.

ELEGIA XI.

51

2

Quin etiam virides ripas mihi confere syluis,

Balsame siue tuis, seu pia Myrrha tuis :

Hinc vt odoraras lacrymas bibat ebria Nais,

Nais alens medico rore salubris opem.

Nais & effundat Panchæi floris odores,

Diues vt Elysiu pascat arena nemus.

Nec satis io. de fonte satur fluat vbere riuus,

3

De riuo flumen, flumine Nilus eat.

Nilus at hic Phario Nilo formosior amnis,

Defluat illimi pura per arua pede.

Non cui pestiferum stat dente minace periculum :

Nec fluuialis equus, nec Crocodilus eat.

Legitimus fons ergo fluat iam nobile flumen,

Quaque fluit, pulchras fama sequatur aquas.

Quem quoties sitiente satur bibet ore viator ;

Dicat, iò quales fons sapit iste fauos !

Vt puto, primæuum talis fons imbuit hortum :

Dulcius aut illo mel mihi fonte parit.

Quod super, ab Syrijs huc quisquis es aduena regnis, 4

Ars cui docta stilo est, & colis artis opus :

Vicinâ de rupe fabram mihi sculpe figuram,

Que memor officij nomina grata ferat.

Quam legat, & seros pia fama renarret in annos

Et maris, & terræ quisquis oberrat iter.

Finge mihi pnerum, simul vbera finge parentis :

( Alma parens pietas ) lac puer inde bibat :


Dein insculpe cauo victurum marmore nomen,

Sol cui de radijs fulua det ora suis :

*Que paris hunc fontem, Pietas, tibi dedicat aram*

*Ille puer moriens, cui sata fonte salus.*

F I N I S.



D.

D.

T

A

qui  
vnc  
niam

Nobilissimis, Amplissimis, ac Pru-  
dentissimis Viris

SVMMO PRÆTORI

D. FRANCISCO DE LA  
WOESTINE

Equiti, Baroni de Beselaere, Domino de  
Flechmel, Pottrie, Lueghens,  
Caridon, Maete &c.

ADVOATO

D. PETRO HANNERON

Domino de Werde &c.

PRIMO SENATORI

D. ANTONIO DE LA TOVR

Domino de Hoogenhoue &c.

TOTIQUE SENATVI AC  
REIP. IPRENSI

**A**VREA magni Oratoris est sententia,  
& ut opinor, ab ipso magno naturæ  
Parente coelitus hausta, Nobilissimi,  
Amplissimiq̄ Domini, quam velim  
quisque mecum cordi insculpat suo, nec vlla  
vnquam ingrata oblitteret obliuio: *Omnes om-  
nium caritates Patria vna complexa est.* In Patriæ

) ( scripsit



enim dulcissimo gremio, & complexu, parentes, liberi, fratres, sorores, denique omnia carissima amoris nomina securâ cum quiete continentur: quâ saluâ etiam & ij omnes salui, qui in eâ autum domicilium collocarunt, & suas fortunas ibidem commendarunt.

Quapropter non possum non omne caritatis & pietatis officium Iprensi Reip. id est magnæ meæ Parenti prolixè deferre; & vbi primum vitales abs cælo hausi auras, atque è sacro fonte vnâ cum lacte pietatem imbibi (quo eximio Dei beneficio nescio quid mortalibus magis sit exoptandum) & ibidem etiam vltimum Patriæ carissimæ in obsequio spiritum exopto ponere. Me enim primæuo naturæ beneficio sic ea obstrictum tenet, vt, estò vel maximè enitar, me vinculo hoc inexplicabili expediam nunquam, & hoc quidem, si meipsum spectem.

Quod si & mea propius voluero intueri, tum nouus antiquo è nexu, & is è meæ patriæ amplissimis erga nostram Societatem meritis, nexus cõtexitur: in quâ me quinquaginta iam soluisse annos ipsa numerat; sed errat: ego enim non nisi momentum, & quidem iucundè, atque opinione meâ fugaciùs, vt ingenuè fatear, præteruolasse deprehendo. Quæ beneficia si recensere velim, & calculi in digitis, & dies in stylo me deficient: & certè timeo, ne immensa eorum moles hunc imbecillum animum opprimat.

Cum enim Societatis IESV Collegiū Iprense sit panè cæteris in Belgio antiquius; certè inter  
prima

prima eminet. Itidem & ex antiquâ huius Reipub. benevolentia quasi perenni fonte nunquam non inexhausta beneficiorum copia, ceu riuus vberimus dimanauit, hodieque dimanat: Et rei familiaris, domusque angustias tum liberali manu, tum ampliori ad mania pomerio laxauit. Vnde iam hortus, & ad prospectum iucundissimus oculos pascit, & ad usus domesticos fertilissimus penu copiosum suggerit.

Sed quid ego studeo nudam aream oculis, quos humi defigas, subijcere? malim eos aquilae instar, o mihi carissima & nobilissima Patria, caelo attollas: ut moles augustas, & tua regio plane animo digna molimina suspicias; ac tui laboris, beneficam magnificentiam, an vero magnificam beneficentiam, seu potius vtramque admireris; & tecum Belgicus orbis, si non & sol uterque gemino exurgens oceano obstupescat.

An non egregium Sapientiae non tam domicilium, quam delubrum, siue eruditam scientiarum curiam Iprensis Resp. Societati I E S V excitauit? ubi & Aula, quae paene templum aequet, & sua amplitudine oculos fallat; cui & augusta sit velut regiae facies, nec minor operis dignitas.

Quid de Templo illo dicam, nuper tantas inter aerarum publici angustias, & in summam temporum iniquitate ad coronidem educto? porro in hac tam admiranda & vasta mole, (quam styli mei imbecillitas non sustinet, ut describam) nescias, an magis architecturae elegans & comensum artificium, an autem operis maiesta-

tem magnificentiamque admireris: vbi materiae eximius splendor & pretium cum formae dignitate, & elegantia certat: vt hinc gratia, inde verò gloria tam illustri B. Virginis templo concilietur. Cui enim alteri id Ipra B. Virginis filia, quam magnae suae Matri dedicaret?

Mihi verò gratum foret cetera huius Reipub. in Societatem nostram promerita enumerare, (quo de negotio erit aliàs dicendi aptior locus) verum epistolae modus stylum plura meditatem cohibet; eò quod malim effundi in laudes, & iustissimas eius Reipub. cuius *Curia* (vt cum magno Cassiodoro loquar) *Templum est innocentiae, temperantiae Sacrarium, ara Iustitiae.* addo: Regia prudentiae, consiliorum arcanus thesaurus, arx securitatis publicae, ciuicæ pacis domicilium, pauperum asylum, diuitum securitas, omnium denique securum praesidium, & publicæ tutela salutis tam animorum, quam corporum inexpugnabilis: quâ in Curia, vti Aulâ regiâ, gloria virtutis filia sibi perpetuum solium collocavit.

Quis enim non videat, vt purè & integre auita hinc pietas, & antiqua morum innocentia, Senatus singulari industriâ, & piâ è Dei beneficio curâ efflorescant? &, quam olim impius belli turbo suis aris (vt ego flens vidi) depulerat, magna illa Dei Mater in pristinas sedes, sed ampliori cum honore sit restituta? & certe hac in vrbe ex omnium retrò saeculorum memoriâ & pio maiorum instituto, existit & etiamnum

etiamnum viget adeò religiosa in Deiparam  
obseruantia, vt grandi piaculo quis sese obstrin-  
gi ingemiscat, si non illi *Misericordia Matri* an-  
tiquum pietatis obsequium, iure meritoque  
voti damnatus, impenderit: ea propter animo  
sedit meo, id quod de illa communi omnium  
parente, singulari Iprensium meorum patronâ,  
& diuâ Tutelari olim amœniori stylo depinxe-  
ram, in hâc sacrâ Venatione de Puerò quasi  
Hinnulo amisso, velut in tabulâ exhibere: vt in  
eâ suæ pietatis imaginem (quam olim, vti spero,  
cum bono Deo de tota eius vita ampliorem  
oculis legendam subijciam) Ipra contempletur;  
eamque ibi quærere ardeat, vt tandem, sicut  
Mater Filium in Templo Ierofolymitano offen-  
dit docentem, sic & Ipra Iprensi in B. Virginis  
Templo Matrem vnâ cum Filio suos ciues illu-  
minantem inueniat.

Sed ritè mones, quod pænè exciderat, quàm  
omnem in curam hic excubet eorum, qui Rei-  
pub. clauum regunt, religiosâ cum sedulitate,  
industria, & vigilantia, vt Iuuentus probè in-  
stituatur, & Catholicæ fidei mysterijs, mori-  
busque imbuatur, & omnes virtutis numeros  
expleat. Quid? obliuioso suppressam silentio,  
sacræ eloquentiæ totâ vrbe personantis saluber-  
rimos & vberrimos fructus? Religio mihi foret,  
eximiam Patriæ meę religionem indigno & in-  
grato silentio inuoluere: vbi tanta concionum  
facundia, tot Monasteriorum (qualis nusquam  
alibi) frequentia, tantus in templis splendor, &

)( iij

ornatus;

ornatus: &, quod caput est, ea Sacrorum maie-  
stas, sacri ordinis auctoritas, & populi in pieta-  
tis studium ardor, & inde rerum diuinarum  
suauissimus gustus, & animi deliciae.

Et haec quidem, si animorum salutem specte-  
mus. quod si ad publica publicae industriae mo-  
numenta oculos adiecero, Deus bone! quanta  
hic operum moles occurrit, & oculos suspensos  
detinet! Si Urbem perlustro quam puer vidi,  
possum dicere, & verè dicam, quod olim Au-  
gustus de sua Roma: è lignea olim, quasi nunc  
marmoream admiror, & gratulor: tot nouis  
ijsque elegantioribus indies è Senatùs decreto  
exornatur, & illustratur aedificijs. Si portis pe-  
dem extulero; hic terra cum aqua certat: adeo  
vt nescias vbi maior geminae industriae gloria  
eluceat.

Si enim ambulare sicco vestigio lubeat; eme-  
tiri possim 15. miliaria & plura silicibus strata,  
& cuius pediti, equitique (addo, & currui)  
peruia, quod nusquam alibi adspexeris. Appiam  
hic credas viam ab omnibus portis quaqua ver-  
sus decurrere, nec ideò hæc cura ad metam hæ-  
ret; sed nouos semper in labores muniendis vijs  
(sic & Parisijs) vt in stadio currētibus moris est,  
recurrit, & perennat.

Sin autem nauigare fit animus; me nouum  
flumen excipit, quod nuper tot per impedi-  
menta, tenui tum ærario publico, immensis ta-  
men impendijs, nec minore labore & solertia  
vliginoso in solo ab ipsa urbe ad alia vsque flu-  
mina

mina tandem est deductum: vnde facili vltro  
citroque commeatu, & hospitali ripæ appulsu  
liceat ad vsque Oceanum inoffenso cursu suavi-  
ter delabi. quò fit vt iam & mare sit Ipræ, &  
Ipra in mari existat. At verò nequit in nouo  
portu meos oculos effugere noua, quæ eum  
præcingere incipit, Ciuitas huic fluuio adfi-  
dens, inde in lata decurrens spatia menio-  
rum ambitu: vnde vel maximis vrbibus Ipra  
tandem sese comparare audeat.

Ob hæc igitur & alia innumera, tum in So-  
cietatem I E S V, tum in Rempub. mihi caris-  
simam parentem, beneficentiæ pignora, est vt  
iterum eas quas possum maximas, & nunquam  
intermorituras habeam, agamque gratias:  
*Immortales enim Gratiarum horti*, vt vetuse est  
sententia, at ne nudo solum videar cum meritis  
certare verborum officio; qualem qualem Gra-  
tiarum dono fructum indidem præcerpam: Ni-  
mirum *Sacram Venationem B. Virginis, amisso*  
*Puero*, cui facè in via quasi comes adlucet *Phos-*  
*phorus*, siue *Ioannes Baptista*, cum *Agar ancillâ*.  
Fateor verecundæ memoriæ hanc esse gratiam  
nimis quàm exilem: sed vt *Ioannes* sese maio-  
rem præcurrit; sic & hoc Opusculum grandiori  
operi, nempe *Amphitheatro naturæ* præludit; &  
indè pudori suo velum prætexit.

Verum enim verò vt tandem ad calcem de-  
currat oratio, id ausim affirmare, quidquid vi-  
tæ diuina indulgentia mihi reliquum fecerit,  
id totum Patriæ meæ honori, pro tenuitate mei

ingenij consecrabo. Quod si Olympionicæ, qui  
Coryntho pineâ, Elide oleaginâ, aliaue alio è  
ludo coronâ præcincti victores redibant, cense-  
bantur Patriam suam coronare: quid ni & ego,  
non quidem victor, sed victoris affectans præ-  
mium, si quid in posterum eo eloquentiæ splen-  
dore, quod dignum æternâ memoriâ censea-  
tur, scripsero; id totum velim Patriæ meæ  
æterno nomini & gloriæ adscribi? Si non coro-  
nam attulero; saltem coronæ Iprensi nonnul-  
lum subtexam lemniscum, cui Patriæ meæ no-  
men adscribatur.

Interim Deum Opt. Max. imis, sumnisque  
votis deprecabor, vt hic Phosphorus cum sua  
Luna, B. Virgine inquam, tantisper huic ciui-  
tati illuceat; donec *Oriatur sol Iustitia, cuius in  
pennis sanitas*; vnde sempiternæ gloriæ claritu-  
do, & gaudij amœnitas efflorescet. Quo in voto,  
cui nullus finis, finis, & Me meaque omnia ex  
animo dedico consecroque. Casleti è Collegio  
Societatis IESV. 4. Nouembris. Anno 1642.

V V. N. A. D. D.

*seruus in Christo & Ciuis*

BALDVINVS CABILLIAVVS.

PRÆ

PRÆFATIO  
Ad Beneuolum Lectorem.

Sunt, eruntque semper (prò pudor!) etiam in tanta Christiana sapientia luce, & tot præclaris casta sanctimonie exemplis, nonnulli male seriatim homines, ne dicam impudenter disertis, ne dicam infelices orci victimæ; qui falso & nequiter sibi persuadeant, haud alio ab fonte linguae Latinae perennem puritatem, quam ab impuris libidinis, atque adeo putidis & fœdis veneris volutabris accersendam? quin etiam ab impijs & fumosis antiquæ superstitionis aris Christiana eloquentiæ splendorem & ornamenta petenda opinentur? Ideoque aliud nihil, nisi suas Gellias, Corinnas, Lesbias, Cynthias, Nemeses, & Cupidines, Adonidasque ad sua plectra & leues Cytharas, uti Deas, aduocant; & castum Castalidum fontem putidâ suorum amorum mephiti, quasi pestilenti veneno violant, & adulterinis venis inficiunt? Ut omittam Ioues, Mercurios, Martes (& ut verbo dicam) Omnigenumque Deum monstra è nigro suo cælo, orcum volui dicere, huc euocant; qui quasi nocturna larua in mediâ Christiana religionis luce impune diuagentur, imò & cum plausu excipiantur; concelebrenturque ij, qui vel ipsâ impudentiâ impudentiores, & impetate magis impij. Illi sunt qui bonam virtutis, veræque fidei professionem promptam ore quidem publice gerunt, utramque verò pectore clausam abdicant & eiurant. Quod utinam obscæni illi lenones cum Petrarca, Aenea Syluio, Mureto alijsque senio deplorarent, & castæ eloquentiæ flumine conce-

) (  primum



prum è Cypris tadis ardorem exstinguerent, quem  
potius inflammant! quo quid esse possit scelestius, quid  
magis improbum? credo, ipsam castam Virginem ad  
tam nefanda flagitia, criminaque erubescere.

Ego sane ubi ea blanda mortalium pericula vel  
nuda ipsa cogitatione attingo, totus cohorresco, & e  
tam male incundo errore, atque piaculo infelices exitus  
Simonideis lacrymis deploro. Certe in tota lingua  
Sacra sine Hebraea, non est ullam reperire dictionem,  
que actum castis oculis & auribus fugiendum ex-  
primat. Quo e fonte hausit ille, & riuum sua doctri-  
na deduxit, qui monet Ephesios cap. 5. Scurrilitas  
& que ad rem non pertinent: ( Grace τὰ ὄυρ  
& ἄννοτρα, id est que non decent ) & paulo post:  
Fornicatio, aut omnis immunditia, aut auaritia ne  
nominetur quidem in vobis, sicut decet Sanctos. Nihil  
enim a que ipsa sanctimonia, nobilissima Dei sanctissimi  
Filia, abhorret ac gratissimam impuro lenoni  
libidinis turpitudinem, & castimonia labem: que  
soror est ipsius sapientie, si integra seruetur, ut  
Gregorio Theologo ipsamet claro in somnio explicauit.  
nec id immerito: a Deo enim omnis sanctitatis prin-  
cipio lex pudoris hausta, & omnium animis ab ipso  
vita exordio informata.

Quid ad hec obsceni Veneris pulli? qui neminem  
existimant pure loqui posse, nisi impure & scribat &  
vinat: quasi vero illa antiqua & Sabina castitas,  
morumque integritas & senexa vita disciplina Labio  
penitus nunc exsulent; nec hic usquam, quasi in ri-  
gno voluptatis, possit Castimonia & casta eloquentia  
Christi auspicio consistere, nisi languidas libidinis fa-

ces sua

ces suis libellis, quasi flabellis, excitarint, in flama-  
ritaque, easque eternum teneris hesuras medullis  
non sine acerrimo doloris morsu, & animi acerbissi-  
mo vulnere defixerint. quibus quid imprecer nescio,  
nisi ut una cum Vate regio voueam: Ut descen-  
dant in infernum viuentes: & ibidem priusquam  
fero patiantur ni resipiscant, qua suis chartis accende-  
rint, pio cum gemitu, iam securi, orci incendia serio  
contemplantur.

Ne igitur male-dulces ille, ideoque magis noxie  
aurium illecebra animos pestiferam dulcedine innexos  
detineant, Societas IESV eam unicam in curam in-  
cumbit, ut ab impijs & impuris peccandi inuitamen-  
tis ad pia & pura ingenij oblectamenta inuentutem  
auertat, tenerosque animos ad amoeniora & incunda  
eloquentia studia suauiter abducat: sic & ego pari  
desiderio & labore enitor, utpote eiusdem Societatis  
a tot iam annis sacer alumnus, in eoque omnes meas  
defigo curas & in stylum transmittito, ut honesto &  
vili ingenij ludo, prout vires ferunt, animos oble-  
ctem, & oblectando, in suani Dei obsequio detineam.  
Et quidem eo lubentius quod primum omnium li-  
brorum qui exstant videantur ab ipsa diuina sapientia  
posteris seculis transmissum; Ipsam, inquam, Iobi hi-  
storiam, pulcherrimum patientia speculum; quam ab  
ipso Iobo, vel (ut alij aliter) a Mose, quod similis vero  
est, conscriptam esse liceat opinari. Et quidem Iero-  
nymi iudicio epistolam 112. ad Paulinum. Prosa in-  
cipit, versu labitur, pedestri sermone finitur,  
exametris distinguitur, item idem asserit in Psalmos,  
Iob,

*Iob, & Proverbia in disticha dispungi; Mariannus  
antem Victorinus annotatione ad epistolam 112. ait  
se inuenisse in Iob dactylos, spondaos, iambos, tro-  
chaos, proceleumaticos. Esto eas Hebraei metri-  
iam nequeant. Et hoc ut mortales diuina Sapiencia  
moneat, edoceatque eruditus sed castis aurium de-  
licijs animos trahendos, detinendosque in suo ob-  
sequio. Vt inde iucundus amoenioris litteraturae  
honestus lusus exprimeretur, & ingenuo e lusu co-  
piosus in omnium commoda & oblectamenta usus di-  
manaret.*

*Profecto si, uti necesse est, perspicaciori oculo  
ipsum Deum Optimum Maximum, & res diuinas  
studeamus attentius intueri; facile deprehendemus,  
nusquam uberiores & homine erudito digniores  
scribendi, docendius copiam redundare. Quid us-  
quam est alibi, quod non in immenso illo & inexhau-  
sto sapientiae thesauro, atque adeo ipsissimo rerum om-  
nium fonte sit reperire: ut indidem cuiuslibet scien-  
tia suauissimum gustum quisque delibet, & caelestes  
delicias abundè hauariat?*

*Porro de Verbo extremo & immensa, in quo diuina  
& humana natura unam in personam coaluerit,  
quid dicam? bone Deus! Quantus hic se aperit cam-  
pus, in quo erudita industria, & solers ingenium tot  
in antithetis utriusque naturae ludere valeat; quo in  
antithetorum usu & acumen, & eloquentiae decorus  
splendor, ac venustus lepor elucet! quae non de ipso  
Verbo rerum & verborum copia, & quidem uberi-  
sima emanabit! praesertim si quis velit Christi concio-*

*nes vet-*

nes versare modis, & incundioris eloquentia adspargere  
floribus! quanta, quam frequens ludendi occasio in  
Deipara Matre & Virgine! quid enim verum, quid  
incundum, quid copiosum, quod ea Verbi facunda  
Parens non suggerat, aut à Filio impetret? Id ipsum  
hic assero, & hoc quidem in breui argumento: Nempe  
in sacra Venatione siue Pueri amisso. De quo ubi  
vix unam alteramne elegiam emittere meditor, in-  
veniundo Pueri idoneam; ubi Mater diutius inuesti-  
gando haeret, eiusque propiore passu premo vestigia;  
me longius opinione mea abduxit, & ab instituto ab-  
errare suauiter persuasit, meque quasi labyrintho im-  
plicuit; unde me vix tandem potui expadire. Ut  
enim linum lino neclitur, & filum filo trahitur; sic  
sero miratus sum ab tam tenui exorsu bene longam  
telam detexi. Puta me ampla retia capiendo sacro  
Hinnulo explicuisse; seu potius, ubi Deipara Deum,  
non ut Osirim quarit, toto triduo me etiam in lu-  
tuosa eius vestigia incurrisse, ut eum adsequerer;  
donec sanctissima Mater suas delicias mecum in  
Templo deprehenderet. Quare est ut ignoscas, si  
in tam breui stadio sim longius euagatus: nec exi-  
mia eloquentiae splendor hic eluceat; utpote cuius  
nitor puluerulenta via situ obsoluerit. Sed est hic  
obuius viator, qui mihi aurem vellicat, & insu-  
surrat: Μυδὲν ἄγαν: Ne quid nimis. Verum  
de Deo nihil satis dici potest; cuius Verbum cum  
sit inenarrabile, immensam de se narrandi facundam  
eloquentia suppeditat materiam.

Interim,

Interim, mi Benigne Lector, hunc breuē laborem  
seu potius qualem qualem ingenij ludum, & ut opinor,  
haud inhonestum, & viro religioso indignum, equi  
boniq; consulas: qui si palato tuo, hoc ē prae gustu adri-  
ferit, adyciam ei totam suauissimā omnium Maris  
sanctissimam vitam; & eam quidem Lyricis, symbol-  
licis, epigrammatis, elegys, historicis expressam.

Si qui autem tam ferreā sint fronte, ut quemad-  
modum canes lunam, sic & ipsi Deiparam ipsā lunā  
longe perfectiorem Cerbereā rabie allatrare non eru-  
bescant, eos nihil moror; latrare possunt, mordere non  
possunt. quod si porro pergant illi rabidi Cerberi &  
septicipites hydrae solenniter insanire, & intactam  
omni labis suspicione Virginem virulentā spumā, au-  
diro ignominia veneno adspargere, & illibatam eius  
honorem attaminare; vel in me, uti in eruditissimum  
virum Iustum Lipsium, cui ego neuiquam par, pro-  
eaces audeant dentes distringere: nae ego non quidem  
armata Palladis agide, & hastā fretus; sed inuicta  
Virginis praesidio subnixus luculentā plagā Herculeae  
clauae sub pondere, verique monstro pestilens caput  
contundam: aut certe os ferreum publico conuicio Vir-  
ginei honoris fida custos fama verberabit, & ipsius  
veritatis ex fide interpretis, sicut Virgo pudoris memor,  
virginei floris in MARI A gloriam tuobitur; cuius  
haec vox nō sine stomacho & iusta indignatione: Itaque  
vero nefas Christiano fuerit, Deum, Deiparamque  
sacrum prodigium & miraculum, ut me Sancti Pa-  
tres celebrant, quos nemo sat amplis pro dignitate ho-  
noribus exornarit, iustis laudibus concelebrare? &  
interim licebit istis suauiludys, Penelopes procis, quas  
in animo

in animo suo lasciuas Lesbias, Corinnasq; depinxerint,  
publica cum morum labe & oculorum verecundiâ, nudas  
prostituere? & quos inde turpes hauserint affectus, ab  
impuro animo & quasi putidâ lacunâ in turpiorem sty-  
lum transfundere, vt procaces animas periculosiss au-  
rium oculorumque lenocinijs oblectent, & oblectando  
in fraudem & perniciem pertrahant? scilicet hoc est  
suauiter oblectare, si crudeliter occidant. Quasi verò  
natura, seu potius Deus natura parens sapientissimus,  
hominem & quidem Christiani sanguinis diuinum  
illud animal, velut brutum pecus tantum ad fœdas &  
erubescendas voluptates hauriendas humi abiecerit; &  
alius cœlestem illam animam diuinâq; particulam auro  
sepe ad cœlum sustollere, suisq; rebus, id est, diuinis in-  
teresse inuiderit. Et quid quaso magni, vel pulchri im-  
putri fragillimi corpusculi puluere & umbrâ, quam  
tanto studio & tam specioso malè-blanda eloquentiâ  
choragio, animarumq; periculo, cœci illi periura domi-  
na Veneris administrari, & voluptatum satellites laudan-  
dam susceperint; & interim negligent, quod minimè  
negligendum, Deo, Deiparaq; quas debent, & possunt  
iustas laudes accinere? tantine vitrum quantum & mar-  
garitarum? & pluri estimabitur pictus puluisculus, &  
umbra umbra, quàm immensus diuina maiestatis splen-  
dor, & omnium honorum fons vberimus, ipsiusq; au-  
gusta magna Matris & omnium imperatricis dignitas,  
Sanctorumue eximia claritudo? O curuæ in terris  
animæ, & cœlestium inanes! An non pudet ea elo-  
qui, vel scribere, vnde vel ipsâ, quâ puras chartas vio-  
lant, sepiâ atriores euadant, & publicis sempiterna  
ignominia notis inurantur?

Sed quid

Sed quid ego cum turpissimis monstris in arenam  
descendo, & collector, quorum è contactu quid nisi  
sordes & putidam mephitim reportem? malim sanè cum  
dulcissimâ Matre, & festivo suaviq; eius Filio, Iosephi  
ductu, Hierosolymitano à Templo ad floridos Nazarethi  
hortos contendere & quasi triumphum sequi: ut quem  
iam docentem in Templo deprehenderim, audierimque  
Puerum, non Puerum eundem tandem & in caelo his  
oculis sua in maiestatis suprâ omnes mortales gloria  
mihi liceat contemplari; & tam salubris doctrinâ fru-  
ctus dulcissimos percipere: indeque diuina misericordia  
indulgeat mihi ceterisq; castis Scriptoribus, delicijs per-  
frui sempiternis; & vna cum Dei Deiparaq; laudi-  
bus aeternum beatissimo in choro concinere illud maximi  
Doctois augustum canticum: O æterna felicitas &  
felix æternitas!

ARGV.

ling. 113

## ARGUMENTVM.

**L** Ex Mosis Exod. 23. Hebræis eam legem,  
& morem indixit, vt quotannis solenni  
ritu ter, nempe in Paschate, Pentecoste,  
& Scenopegiâ sacrum publicæ religio-  
nis tabernaculum, siue templum, vbi vbi id  
Deus designasset, adirent, & totâ è Iudæâ è le-  
gis præscripto, viri omnes, non autem mulieres,  
confluerent: interim ille qui id iusserat securam  
tuendæ Iudææ viris tū absentibus fiduciam spo-  
ponderat. Et vti publicæ salutis obses ac vin-  
dex eam tutelam & fidem in se receperat; &  
ne illa virorum solitudo hostium foret oppor-  
tuna iniurijs.

Itaque Ioseph & castissima sua sponsa pro  
suâ eximiâ in Deum pietate cum filio suo IESV,  
tum duodecim annorum, ab Nazareth Ierosolia-  
mâ versus iter 27. (vt vocant, per Sunam, Sama-  
riam, Lebnam obuias, & interpositas vrbes iter  
intendit. vnde omnibus ex maiorum institutis,  
& cæremonijs castè & purè peractis; eandem  
remensi viam, domum spectant, & hoc bifariam  
diuisi: hæc enim viri, illæ autem mulieres seor-  
sum iter agebant (vti Beda existimat) & id qui-  
dem honestatis causâ, & ne quid minus dignum  
pudore, & castâ mente quisquam in promiscuo  
sexûs contubernio admitteret. Quo & more in  
A templo



templo separatim sacra adibant, & in eo à vi-  
ris discretò in loco agebant.

Vt verò eò vesperi vel circa meridiem de-  
uentū est quò diuenterent; tum denum nec opi-  
nato anxius & mæstus sponsus & sponsa suas  
delicias pulcherrimum, inquam, & carissimum  
puerum emanfisse deprehenderunt: nimirum  
opinabatur Ioseph IESVM Matri suæ comitem  
adhæfisse; & ipsa vicissim puerum sese Iosepho  
in viâ adiunxisse: vel certè consanguineos, aut  
sibi notos adsectari.

Necesse est vt quis inde cum Cordubensi arbitre-  
tur clarissimum illud totius orbis lumen (Dei-  
param dico) tunc alicuius erroris tenebris inuo-  
lutam, ab veri opinione aberrasse.

Si enim primæui generis humani parentes si-  
bi eam quâ Deo Opt. Max. erant obstricti re-  
ligionem non soluisent, & in agnata sibi  
iustitia & innocentia perstitissent: in nullo ser-  
rores, nedum vitia rapi potuissent. Vti censet  
Augustinus. Quantò minus vt D. Thomas do-  
cet & ex eo Suarez, potuit sapientissima illa ip-  
sius æternæ Sapientiæ Mater in falsam vllam  
opinionem abripi. Id enim abhorret ab eximio  
illo diuinæ maiestatis, & æternæ veritatis sp. en-  
dore, qui sese purissimæ illius & nobilissimæ  
animæ infuderat, & circumcirca, ne qua fraus  
vllas errorum tenebras offunderet, collustrabat.  
Quî enim illa nulli offensæ obnoxia potuit in  
falsas opiniones à verò alienas abduci?

Quod

Quod autem existimaret eum esse in comi-  
tatu; id probabili ratione poterat quidem con-  
ijcere; non autem huic errori firmo iudicio  
adherere, & adsentiri. Siqua tamē hīc forte sit  
ignorantia: id non falsæ inscitiae imputandum;  
sed quod aliquid (vt vocant) negatiuē ignora-  
rit, hoc sit tribuendum. Non enim omnia debe-  
bant cadere in eius scientiā, quæ immensa vnus  
Dei sapientia suæ velit reseruari prouidentiae.

Postridie igitur, vbi nec sol occidens, nec  
oriens, puerum ipso sole illustriorem ig-  
naræ parenti obuium ostenderat. Ierosoly-  
mam iter reflectit; eumque agnatos inter requi-  
rit, & passim inuestigat, & tertio demū die de  
more Iudaicorū puerorum sedentē in imis sub-  
sellijs sub Doctorū cathedris in atrio Templi sub  
porticu Salomonis ad portam orientālē offendit.  
Et quomodō quæso? vt decebat puerū, sed Sa-  
piētissimū & antiquissimū: iratur cum suo Io-  
sepho eā in ætatulā interrogantem, & simul do-  
centem iam aduenisse ipsum, quem tot vatuna  
ōacula, & Patriarcharum anhela iam tot retrō  
sæculis suspiria inuocarant. Et id quidem ē  
Danielis hebdomadibus & Iudaici sceptri exci-  
dio clarē euincebat. Vnde vti ē candida nube  
radij, sic & ē puero sapientiae clarissima emica-  
bant indicia. Quocircā omnes ingens defixit  
stupor, & tenuit admiratio, quod canis illis  
legis Mosaicæ Magistris omnem ipse puer eri-  
peret errorē, & ab antiquo Mose ad nouū Mes-

fiam auerteret, quantumuis ægrè sese à pristinâ opinione abduci sinerent. Haud enim facile quis à susceptis ab omni aurore memoriâ religionibus discedit, qui non eas grandi supplicio expiandas perhorrescat. Interim crediderim festiuissimum, & iucundissimum puerum apud aliquem è doctoribus, vel cognatis liberali exceptû hospitio. Quis nō tam dulce caput & humani generis delicias inuitaret? sed quid tum Mater? vt matrem & talem matrem decet, blandè videtur cum illo exostulare cur id egerit? simulque sui doloris quos ipse euellat pectori iampridem infixos aculeos, aperit. Non quod timeret necubi à viâ aberraret, vel quid secius ab Archelao, vel ab vllâ ferâ præter voluntatem suam illi eueniret, vel ad cælos rediret. Sed fortè ne ante tempus se nesciâ aliquod vellet incommodum, si non & acerbissimam mortem sustinere. à quibus in puero ærumnis materna abhorret pietas.

*Res est solliciti plena timoris amor.*

Porro Iosephum patrem pueri vocat; ne infidiatrix eius honori fama, si quid aliter dixisset, curiosis & malignis auribus subtegeret, & eius virginico pudori ignominiam inureret.

Quid tum ad hæc puer? vt Deus respondet. Cum enim in Deo Homine duûm generum sit actio. vna planè naturalis, vt ambulare, edere &c. altera quæ aliquid diuinum sibi commune habet, vt docere, patrare miracula, & similia

(quas

(quas Θεάωνδριος actiones Dionysius nūcupat.)  
De his adferit, quod matri interroganti reponit: *An nesciebas quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quæ actiones humanam è matre acceptam naturam infinitis partibus superant.

Quibus Ierosolymis peractis tandem inde Nazarethum nulla amplius religione impeditus redijt. Vbi ad vsque annum ætatis suæ trigesimū arti fabrili (vti censet Iustinus contra Typhonem) ipse mundi fabricator operam dedit, omnemque industriam attulit, vt vitæ subsidia tenui alioqui familiæ subministraret, & vnà opifices instrueret, qua ratione otium discuterent, seque ad honestos, & vtilis labores accingerent: nec est credibile inter impuros fabros discursasse: sed aratra, & iuga, aliaque arnia rustica cum suo Iosepho, domi quieto in labore ipsam cuius Pater esset agricola, in oppido rusticano concinnasse. Vnde & vulgo credebatur fabri filius; & quidem tam diligens, vt omnes omnium fabrorum vigilias antelucana sua industria vinceret.

Nec est credibile, vt nonnulli existimant; (esto in speciē blandiri religiosa pietatis imagine ea opinio videatur) eum tum vitam Essenorum instar in rebus diuinis tantum contemplandis, totos 30. annos traduxisse, ac iuuenem robustum & ingeniosum languido quasi in otio, saltem è vulgi opinione vana & obuia, inter Iosephi laboriosas dolabras & ascias, securesque

A iij

vbiuis

6

vbiuis domi aurem suam circumsonantes, mollem & ignauam vitam vt traheret, sustinuisse: nequam sinistrę vulgi de se vt inertı homine suspicionis, & sermonis ansam daret. Vnde præiudicata malignę famę de iuuentutis ignauia auctoritas, nonnihil de dignitate & gloria doctrinę, laborumque quos postmodò exantlauit, detraheret.

Quis enim nescit, vbi arcta sunt oppida, quale fuit Nazareth, longas esse linguas, seu (vt Plautus iocatur;) lingulacas in omnium ora & oculos incurrere? quas necesse est ab ipso iuuentutis initio vitet; quisquis vllam famę suę securam & ab omni ignominie suspicionem puram in virili ætate sibi studet auctoritatē comparare,

SACRA

SACRA VENATIO<sup>7</sup>

S E V

Puer à B. Virgine amissus.

LIBRI TRES.

Lib. I. AMITTITVR.

Lib. II. QVÆRITVR.

III.

QVÆRITVR ET INVENITVR.

---

*Liber primus, siue dies Primus.*

ELEGIA PRIMA.

Ἐρῶς καὶ ἀγάπη, siue mutuus Christi & B. Virginis Amor sibi quam simillimus colludit, & interim Christi Amor quasi furtim absistit.

1. B. Virgo utrumque Amorem describit.
2. Quam sibi sint inuicem similes ostendit.
3. Colludunt pariter festivi hi Genij siue Puellj.
4. Christi amor se quasi clam subducit.

VOX B. VIRGINIS.

**E**st mihi sanctus amor, sancti qui frater amoris;  
Ab Mariæ & IESV natus vterque sinu.

A iiii

Paruus

Paruus vterque puer, primo sed maximus ortu,  
 Victor vterque pij bella gigantis agit.  
 Iungit vterque parem concordi pignore dextram,  
 Neuter abesse potest, neuter abesse velit,  
 Otia securo seu pax indulgeat æuo,  
 Seu dubiâ Mauors misceat arma manu:  
 Seu pedibus sequitur terras, seu puppibus æquor:  
 Et maris & terræ par comes ambit iter.  
 Tam mihi crescit amor; quam crescit & almus IESVS.  
 Alter ab alterius fœdere ducit opem.  
 Nam puer vt IESVS purâ concreuit in aluo;  
 Agnosci puero cœpit alumnus Amor.  
 Et ceu luna nouo lux emicat æmula soli,  
 Sic Mariæ è IESV fidere fulget honos.  
 Vt peperit IESVM, peperit bis mater Amorem;  
 Virginis è partu quid nisi viuat Amor?  
 Ille piæ quo non sit pulchrior, ignis alumnus est.  
 Includitque meo gaudia prima sinu.  
 Nempe mei est generis Genius, quo cretus IESVS  
 Sanguine; & hoc creuit sanguine natus Amor.  
 Et bene si spectes vultum; cognoscor in illo,  
 Vt Deus astra regit, cetera matris habet:  
 Mutuus hinc ignis cor vrit vtrumque, nec vllum  
 Tempus erit, quo non mutuus ignis edat.  
 In quascumque voles alternâ sorte figeras,  
 Hunc, illum puerum verte; decorus erit.  
 Opportuna nouis cui cum sit gratia formis;  
 Mille trahat vultus, mille decenter habet.  
 Cirrus vtrique teres tenerum crispatus in aurum.  
 Purpura par, & par candor vtrique generis.  
 Hos ambos igitur (quem non decor ille decorus  
 Vrat) ego casto lactea pascio sinu.  
 Pondus vt ambo meis hærescuaue mamillis;  
 Par lac de lacrymis ambo bibere meis,  
 Qui sic ambo pari stant fronte simillimus error,  
 Nec minus ora pari lumine dulce vibrans,  
 Hos si forte sua stantes sub imagine cernas,  
 Iurabis, geminus frater hic vnus erit.

Et certè lux vna viger, vox vna duobus,  
 Sic Amor in puero est: sic in Amore puer.  
 Sic concors conspirat honos, & gratia forma:  
 Omne decus gemino sic puer ore legit.  
 Discrepat hoc vnum. purus sol ardet IESVS:  
 Non nisi noster amor Solis imago niter:  
 Illius ex oculis radios decerpit, & ignes.  
 Pascit Amor castas ignibus hisce faces.  
 Nam mihi cor speculum, quo si meus ardet IESVS:  
 Hinc speculo floret lux Amor æqua suo.  
 Vitalesque bibit radios illius ocellis,  
 Perspicuoque rapit lumine mille faces.  
 Luna vale, solque ipse vale, stellæque valere,  
 Omne mihi spondent lumina bina iubar.  
 Sin abit his oculis, breuis vt fugit iris in auras:  
 Pulchra fugit speculo solis imago suo.  
 O vrinam! nil tale! meus me linquat IESVS:  
 Sol nullus spectet, nulla vel astra nefas.  
 Spes bona si qua ligas fidis adamantina nodis  
 Vincla; velim perpes vinciat ambo fides.  
 Eueniet. Mariæ quæ vis abrupat IESVM,  
 Quam sibi securo fædere iunxit amor?  
 Nonne vides? ambos vitæ tenor vnus & aui  
 Vt tenet, ac concors lusus, & vsus habet!  
 Ille, vel ille puer (pueri quis dulcior ardor?)  
 Transferit alternâ poma, vel arma manu.  
 Quin & vterque suas quas implicat, explicat alas.  
 Colludensque parem fingit vtrinque fugam.  
 Hei mihi! vana rudem quàm ludit opinio mentem!  
 Credideram fingi, sed fuga ficta grauat.  
 Quod quasi ludus erat, fit seria noxa parenti.  
 Ludit in arumnas heu! fuga vera meas.  
 Orbis amor profugum meus ergo sequetur IESVM:  
 Semper enim solem gestit vt umbra, sequi.  
 Auricomum seli ceu flos aduertit ocellum,  
 Vnde satur radijs aurea sæcla trahit.  
 Sin longâ fugiat sol nube sepultus, & imbre,  
 Flos comes orbando quærit amore mori:



Sic ubi mi IESV fugis, ô pulcherrime rerum;  
 Par flori, viduus lumine languet amor.  
 Nec languere diu potis est, necis induit omen  
 Mestus Amor, moesto mater amore perit.  
 Vis ut uterque cadat, pia mater, Amorque parentis?  
 Vltimus hic casti fructus Amoris erit?  
 Nempe mei speculum nullis occurrit in oris.  
 Omnibus ergo perit matris imago locis.  
 Est tamen hic agræ blandum solamen amanti,  
 Nec mea lux IESVS totus ut umbra, fugit:  
 Corpus abit, fateor, sed corporis hæret imago.  
 Sic puer usque fugit, sic puer usque redit:  
 Dum fugit, acre meo figit sub pectore vulnus;  
 Dum redit huc almam vulneris adflat opem.

## ELEGIA II.

1. *Puerorum varia Studia.*
2. *Christus Puer fabrili arte crucem struit.*
3. *Adit Ierosolyman cum matre.*
4. *Remanet illic, & docet Scribas.*

QVare, rudi simplex quos mente puertia ludos  
 Parrurit, è puero dein paritura virum,  
 Inuenies, rapidis cui cor leue ventilet alis,  
 Ludicra cura pilæ, ludicra cura trochi,  
 Inuenies, doctas qui Palladis ambiat artes,  
 Seu Maro magne tuas, seu magè Marce tuas:  
 Inuenies, quem lora canum, vel rara ferarum  
 Reria detineant, vel vaga ducat auis.  
 Inuenies, qui ferta rosis concinnet ad aras,  
 Primaque de violis vota, precesque literæ,  
 Inuenies, alium cui linea reddat Apellem,  
 Fingere docta viros, fingere docta nurus:  
 Ars decet, artis opus quis non miratur, & optat  
 Arte frui? quem non extulit artis honos?  
 Sed loquar in tenero quid agat puer entheus æuo,  
 Quia qui nescit, pensa laboris amat.

Asciolas

Ascias, ferasque inter, læuesque dolabras,  
 Ceu pueri ludus nobile feruet opus.  
 Et varios fabrâ celer expedit arte labores,  
 Effingitque quadrâ de trabe sæpe crucem:  
 Ab puero siquidem discit iam ferre, quod olim  
 Vir feret, antè crucem crux cui corda grauat.  
 Sera sed hæc olim, stat fors voluentibus annis:  
 Postera cum pulchrum viderit hora decus,  
 Hæc inter, patrijs tectis tuba sacra parentes  
 Euocat, & fastos imperat ire dies.  
 Illic ergo parens properat, properatque parentis  
 Sponsus, item properat iunctus vtrique puer.  
 Iamque pari graditur per plana, per aspera gressu.  
 Quod præit alma parens, Gnatu adumbrat iter.  
 Et tandem Solymæ sanctus puer adstitit ædi,  
 As comiti iunctas nequit vrimque manus:  
 Hic pingues liquidis thus implet odoribus aras;  
 Ebriaque affuso stridet acerra mero:  
 Iam sat vbi sacris adoleuit idonea flammis  
 Hostia, thuricremis hostia læta focis;  
 Ad patrios exinde parens reditura penates,  
 Descendit, Solymo prona per arua iugo.  
 Et iam carpit iter, condensâ septa coronâ,  
 Illic inde nurus cingit, & inde puer.  
 Inde sed absistit pueris puer omnibus vnus  
 Carior, incertisque aqolat ille plagis.  
 Quem procul hamatis ceu saucia dama sagittis,  
 Virgo peregrino quæritat ægra solo.  
 Quæritat, incassum raptumue quiritat I E S V M.  
 Ille Sionæâ rupe retorquet iter.  
 Quid nisi Sionias agnus facer ambiat aras,  
 Victima que nusquam gratior vlla litat?  
 Quaque suis aris tener adsidet ipse Sacerdos:  
 Erudit antiquæ lex noua legis opus,  
 Cui fuit ambrosijs diuina Sijada labellis.  
 Fronte pudor, vultu forma modesta sedet.  
 Et licet hic oculos matris iam fallat & aures  
 Nec lux inde micat, clara nec aura sonat.

Nole

Nolo putes diuina puer Sapientia diuina  
 Errer, at errorem dedocer ille Sophos.  
 Nil pueri puero est, magnum sapit ille magistrum.  
 Quæque regunt Mosen, mystica vela, leuat.  
 Nec silet antiquis oracula condita fastis.  
 Si quid aui doceant, plus docet ille nepos.  
 In puero ne quæso, breues quis censeat annos.  
 Ille puer Sophiæ sæcula cana sapit.  
 Eia facesse Σοφῶν aui matura senectus.  
 Nil facit ad puerum ruga seuera meum.  
 Erudit hinc canas facunda puertia barbas.  
 Præ puero hoc, pueros non nisi crede senes.  
 Prisca Σοφῶν procul immensos quor' ière per orbes  
 Sæcla; breui pueri dic modò clausa sinu.  
 (a) *Tubis argenteis in lege Mosis euocabantur Iu-  
 dai ad festa solennia ter in anno.*

## ELEGIA III.

Amor venatoris specie suum defert  
 B. Virgini obsequium.

1. *B. Virgo queritur sibi amissum puerum.*
2. *Amor B. Virginis comes audit querelam.*
3. *In venatoris habitu.*
4. *Cum apparatu venatico.*

## VOX B. VIRGINIS.

Quando peregrinis descendo Sionis ab aris,  
 Nec scio, sera nigris quid vehat hora rotis;  
 Accingunt latus omne nurus, latus omne puelli.  
 Quos tenet implexâ mater amica manu.  
 Et denso pede feruet iter, per aperta viarum:  
 Ipsa steteri medio sola repente choro.

Hionulus

Hinnulus ille meus, quo non formosior alter,  
 Effugit ah! orbo cœca per arua sinu,  
 Nescio quî blandi nodum rescindat amoris?  
 Quâ fuga? quæue fugę causa, modusque fuit?  
 Primus ut ardor erat castę puer ille parenti,  
 Finis & ardoris sic erit ille mei;  
 Sed finis sine fine: modum quis ponat amanti,  
 Cui suus eterno sole perennat Amor?  
 Quâ rapit ali pedem, quali dama celerrima, cursum,  
 Qualibet hunc volucris turbine rapta sequar.  
 Saxa super, collesque ruo, Sed nullus I E S V S  
 Obuius. ah! saxis durior ille fugit?  
 Panē queri sic ausa fuit pia Virgo. sed inquit:  
 Non stat mens puero saxea: mollis amat.  
 Audijt hæc, sociâ qui tum comes ibat in ymbra,  
 Defensor teneræ Virginis acer Amor.  
 Arsit, & enodes celer ilicer expedit alas:  
 Expedit ille pedes, expedit ille manus,  
 Atque sonans humeris onus omne, leuesque sagittas,  
 Transferit in dextram pondera grata suam.  
 Seu potius crispat lato venabula ferro,  
 Cui teneris floret cuspis amēna rosis.  
 Lenit enim, quod figit Amor sine vulnere vulnus,  
 Parque rosę, sanguis pulchrior inde fluit.  
 Si tamen inde cruor dimanat in omina lethi.  
 Nec magis in lacrymas vulnera cordis eant,  
 Purpureo suras euincta Diana cothurno  
 Nil regit hîc: Virgo sed regit alma canes,  
 Nec dentes, apriue minax caput ilice figit:  
 Vlla nec è cerno cornua limen habet.  
 Nec pictas legit exuuias de Lynce, laboris  
 Præmia vana, leuis qualia poscit honos.  
 Sancia sed tereti præfigit corda sagittâ.  
 Hinnule siue cadis, seu pia dama iaces.  
 Cor sacra præda Deo, sancto cor pignus Amori,  
 Cor sacra lux vite, corda triumphat Amor.  
 Insuper intexit triplici tria fila colori,  
 Et tribus è filis tercia pexa struit,

Quippe

14  
 Quippè ter vniùs stat Numinis auspice cura  
 Fretus, & audet opus, quo sibi sperat opem;  
 Vt sacer Aegon trepidas ad cornua syluas  
 Impleuit; residues excit ad arma feras.  
 Agglomerant agiles canis hinc canis inde cateruas,  
 Sed canis, humanos mens cui docta modos.  
 Cum qui fidoque tenax digiti discrimine cui sit  
 Pes manus. apta manu præda tenace capi est.  
 Cuique pedi spes ipsa suas comes addidit alas.  
 Sic qua quisque secat, spem canis haurit, iter.  
 Sic amor accingit pulchro sua castra labori:  
 Si labor est prædam, qua capiare, sequi.

E L B G I A I V.

Amor B. Virginis obsequio militat.

1. *Amor suum in quarendo puero deserit B. Virgini obsequium.*
2. *Affectus varios. ceu canes venaticos, excitat,*
3. *Prædam frustra indagant.*

**I** Bo sequar dubio palantem tramite prædam.  
 Sed fuga cæca; vagæ signa nec vlla fugæ.  
 Infelix indago; vagis quam distrahit oris,  
 Et secat incertis peruaga præda vijs.  
 Nunc Timor it syluis, nunc Spes volat ignea pratis,  
 Et dolor effrañem raptat in arua fugam,  
 Niñat, hiatque, vlulatque, fremitque & gannit Hylactot,  
 Nare bibens auras, iamque vbi listit, ait:  
 Hic lepus est, ceruicque diu fugitiuus alumnus.  
 Spem vocat hic quidã nare suavis odor.  
 Suauius Ambrosio qui ver aspirat amomo,  
 Cuique vel Enna suas cedat amœna rosas:  
 Illicò præcipitem Spes huc rapit obuia cursum:  
 Ocyor Isacijs præuolat hinnus agrisq;

Y que

Vtque redūx varios, Mæander oberrat in orbes:  
 Sic vagus ambages implicat ille suas,  
 Pes vbiqumque bisulcus arat queis currit, arenas;  
 Hic monumenta suæ linquit odora fugæ.  
 Non plaga, non rubei formido plumea septi,  
 Linea nec celeres detinet vlla pedes.  
 Jam propior, propiorque inhiat Lycus, adde Lyciscam,  
 Hinnuleumque capit, caprus vt vmbra fugit,  
 O quoties hilari cornu spes credula prædam  
 Claudit iò captam, nec tamen apta capi est!  
 Denuò visa capi, fugit alite denuò cursu,  
 Capta, nec apta capi, sed capit arte canes.  
 Donec inexcussis se condat anabela frutetis,  
 Abditaque ignoto seruet asyla specu,  
 Ecquid ad hæc elusus Amor? suspirat anhele  
 Corde trahens gemitus, ore bibens lachrymas;  
 Aure pares haurit quas Virgo dat ore, querelas,  
 Virginis exemplo doctus & ipse queri.  
 Inhit (eo dicente graui flos omnis vt austro,  
 Marcuit, ah! fluxis decolor vmbra comis)  
 Scilicet egra metu quem cura exurit Amoris;  
 Iste dolor flori Sirius ardor erat.

ELEGIA V.

B. Virginis querela de irritâ venatione:

1. B. Virgo de diuturna fugæ mora quasi expostulat.
2. Optat rescire vbinam terrarum suis Hinnulus degat.
3. Dolor de spe elusa.

VOX B. VIRGINIS.

Vos pressis Zephyrique, Notique filete subalis;  
 Virginis vt iustas audiat æthra preces,  
 Hæc mihi prima stetit nascentis gratia Verbi,  
 Si fuga iam nati vota suprema rapit;

Quod

Quod placeat, nil est, raptum ni reddat IESVM.  
 Quo sine, digna Deo dona quis vlla ferat?  
 A quo primus honos, & desinet vltimus illo  
 In puero, rapto mors sub amore later.  
 Quisquis is es, blandi quem non trahit ardor IESV;  
 Durior es saxo, durior es chalybe.  
 Suspicio, an fallor? me qui sic deserit, Hinnum  
 Molliter irasci, si tamen odit amor,  
 Qui potis innumeris quem nescia venor in oris,  
 Vndique sic cœcâ fallere vota fugâ?  
 Nec capio, tot vt affectus, & retia solers  
 Expedij blandis insidiosa dolis.  
 Tot post vota, precesque, vel ærumnosa laborum  
 Tædia, venantis cur neget arte capi?  
 Hinnuleum vel gutta breui quem molliat imbri,  
 Non dolor immensis molliat vber aquis?  
 Dicite iam syluæ, vos hæc per conscia restor  
 Astra, quibus claro sol parit igne iubar:  
 Nunc vbi frondosam lassus iacet Hinnus ad vlmum?  
 Aut secat effræni frondea re gna pede?  
 Siue parat, propero cursu defessus & æstu,  
 Pascere fruge famem, pascere fonte sitim?  
 Seu potius seras vbi sol moribundus in horas  
 Occiderit, dulces suadet adire toros.  
 Tum saltem fuerit vacuo solamen amori:  
 Si negat arte capi, nosse quid Hinnus agat.  
 Sed quid nosse iuvat, quid agat? si me later absens,  
 Quo sine quidquid agam, me piget istud agi.  
 Seu potius quod agam, nihil est, vbi currit inani  
 Calle, labor: merces æqua laboris abest.  
 Hac amor ergo leuem cedro suspende pharetram.  
 Nam tua par sterili vana pharetra cedro est.  
 Tac an inexhausto stat meta suprema labori,  
 Sola ferè casses, si tenet vmbra meos?  
 Hoccine sudori pretium, spesque vltima votis,  
 Vt malè dum venor; sit mala præda dolor?  
 Sed prædæ dolor instar erit, dum me fugit Hinnus,  
 Si memex Hinnulei restet imago mei.

Est aliquid sub corde spei spectare figuram :  
Si minus hoc oculis spes sinat alma frui.

## ELEGIA VI.

B. Virginis iustus de pueri sui molestijs  
in itinere metus.

**Q**uem peperit pulchrum læto sub sidere florem,  
Denuò iam matri nascere sancte puer.  
Denuò nascêris viduæ puer alme parenti,  
Si sedeas isto blandus ut ante, sinu.  
An niueis Amor huc celer aduolat aduena pennis ?  
Auolat ah ! isto deuia vita sinu.  
Scilicet infestus timor omnibus hostis ab oris,  
Euibrat huc atrâ spicula cæca manu.  
Meque minace præit passim mors aspera telo,  
Et sequitur dirus, mortis ut umbra, dolor.  
Vror enim, nudis si Sirius ardeat aruis,  
Ignea ne Gnato torreat aura caput.  
Vror, vbi densa frondescit ab ilice lucus.  
Suspitor : hinc Gnatum cæca latebra regit.  
Vror, vbi duris rubus asper inhorruit hamis,  
Ne seges hæc lerhi sauciet hirta pedes.  
Vror, vbi vasto fera fors fremit horrida saltu.  
Ne qua ferox Gnatum distrahat vrsa meum.  
Denique ( materno Pietas ignosce timori : )  
Fontica, & vna pij est causa timoris amor.  
Quidquid vbiq; nocet, possit us nocere puello,  
Imprimit hoc isti spicula senta sinu.  
Testis erit quacumque gradum premo, riuus & herba :  
Hæc mader, ab lacrymis crescit at ille meis.  
Nec tamen his lacrymis, precibus neque flectitur vllis,  
Ros vanaus lacrymæ, vana sed aura preces.  
Nec patrias facilis, blandusque recurfar in oras,  
Quem via longinquo calle terenda tenet.  
Quod si fas fuerit volucris contendere cursu ;  
Ibo, sequar rapido, quâ fugit ille, pede.

B

Si pe,



Si petra dura riger ; molli se vertat arenâ.  
 Si qua pedes leindat spina : sit apta rosis,  
 Inuidaque ignotis via nos si diuidit oris :  
 Meta pari iungat corda bis vna loco.

## ELEGIA VII.

Virgo circa prandium aduertit abesse  
 suum filiolum, suasque delicias.

1. Circa meridiē mater parat prandiolum suo filio.
2. Timet ne quid secus illi Solymæ, si ibi substituerit, eueniat.
3. Obit viam versus Nazareth, & ad alia loca.
4. Optat eò Gabrielis alis cor suum deuehi, ubi sit Christus ; saltem suos questus ut Christo Gabriel enarret.

## VOX B. VIRGINIS.

Svblimem medio currum dum librat Olympo,  
 Atreæque auricomis sol iuga stringit equis :  
 Iamque pare pleno pia promere liba canistro,  
 Qualia fert texto vimine dona parens.  
 Hei mihi! nullus ades (medio mihi sole ruit nox.)  
 Gnate decus sponsi, Gnate parentis honos,  
 Suspitor, ut puer es, pueris comes obuius hæres,  
 Tot pueros inter, sed puer vnus abes.  
 Fortè sed in molli substis lassulus herbâ,  
 Et tener amne bibis fortè viator aquas :  
 Sive sub vmbrosæ metâ viridante cupressûs,  
 Feruida tu frangis quo flagrat aura, diem.  
 Interdum timui mihi damna Sionis ab armis,  
 Quæ toties vatum sanguine tincta rubet :  
 Quod timui, patior: timor est res credula, credit  
 Vera pericla, sagax quæ sibi fingit amor.  
 Adiuro Solymam, reddat pia furta parenti :  
 Sed mea de Gnato reddere damna negar.

Illa sed obdurat maternis dura querelis,  
 Vrbs Solymæ rupes quid nisi dura riger?  
 Sed quid ego Solymam vanis incuso querelis?  
 Hæreat hic, isthinc qui modo flexit iter?  
 Ergo remensa pari relegam vestigia passu,  
 Siue nouo tendam limite porro viam.  
 O vtinam! precor ô! via quæque sit æqua labori  
 Meta meo: hoc surget tum puto, palma solo.  
 Sed via quæque viæ fert rædia longa, recurrens  
 Currere me quouis cogit in orbe labor.  
 Ille viris, nuribusque salus vbi querere fili,  
 Inter & erro viros, inter & erro nurus:  
 Sed nec signat iter vir, nec nurus vlla, quod opto:  
 Tota vagor mutis error, & angor agris.  
 Nunc Gabaam lustro, casti nunc conscia partas  
 Rura reuiso, breui queis Bethla rupe sedet.  
 Nunc me Lebna tenet: surdam nunc desero Lebnam,  
 Esto redux patrijs hæc via tendat agris:  
 Nec me mons Samaris deterret, & impius hostis,  
 Quo mintis ad Samarim flens pia vota sequar.  
 Mens erat & Sunam, (Nasareidi proxima rupi est)  
 Visere: longinquo Suna sed orbe sedet.  
 Sed sat arenosis decurri squallida campis,  
 Me Iordan riguis seuocat hospes agris.  
 Quis scit an has Zachariadæ meus ardor ad vndas  
 Ambiat, vt casto diluat amne caput?  
 Pluereoue situ squalentes abluat artus,  
 Quæ natat illimi candida Nympha vado?  
 Quis dabit, vt volucri ripam Iordanida voto  
 Adsequar, & volucri sic ego corde sequar?  
 Haud opis humanæ est, palantem querere toto  
 Orbe Deum, certam ni Deus addat opem.  
 Vt reor, ipse suas Gabriel nunc explicat alas:  
 Vt vehat ardentis vix leue cordis onus.  
 Aut certe bibulis penpis inscribit, an audit,  
 Quas modo longinquo cardine lego preces?  
 Si vis, ab pterro quos haurio mæsta dolores,  
 Vt scribam: lacrymis en ego scribo meis.

esse  
 filio  
 strice  
 loca  
 ubi  
 christo

illa

B ij

la

Et vir virgineus scribit, quas Virgo querelas  
 Scripserit, alternas ducimus ambo notas,  
*Nos modotres, Triados semper-concordis imago.*  
*Nunc duo. sit rursus de tribus vna Trias.*  
 Ni facis ipse puer (geminis es grandius instar,)   
 Te sine, queis totum es; iam duo nullus erant.

## ELEGIA VIII.

Allegoria de B. Virginis nauis tempe-  
 state quassatâ.

1. B. Virgo secundam navigationem describit.
2. Deplorat, ubi puer absistit, è sereno turbidum inuerti calum.
3. Tempestas eius nauem oppugnat.
4. Vel unico filij ex oculis radio sibi promittit serenitatem.
5. Palinodia.

## VOX B. VIRGINIS.

**A** Nre diu lato magni sub fideris ortu,  
 Puppis inoffensis tuta cucurrit aquis.  
 Tunc ea quam felix gazâ de cœlitate nostras  
 Non satis ad merces India diues erat.  
 Tum mihi fidereâ dux puppe sedebat IESVS.  
 Vnicus omnigenum qui foret instar opum.  
 Digna rosâ niueum cui pingit purpura vultum:  
 Videris os; dices: hoc Charis ore sedet.  
 Huius ad adspectum, maris ira silebat & austri,  
 Et tumidas inter turbo sedebat aquas:  
 Ridebatque polo soror Vrsa gemella sereno.  
 Illius ad risum par cui nullus amor.  
 Denique lesseę stirpis pulcherrimus hæres,  
 Tolle fugam; rotus flos mihi gratus erat.  
 Sed dextras fors læua rotas inuertit & orbem.  
 Ecqua fides ventis, fida vel vnda mari?

Hei mihi! securâ puer auolat ilicò pinu,  
 Aduena ceu malo sæpè columba fugit.  
 Incubere salo Boreasque, Notusque procellis  
 Creber, & effrænis Euris anhelus equis.  
 Candida nunc arri subducunt sidéra nimbi;  
 Noxque intempestis incubat atra fretis.  
 Et mea de fragili trabe texta carina per æquor  
 Voluitur, alternâ ceu pila versa manu.  
 Vlla nec effugio via, lux nec idonea portu.  
 Inuida nox lucem præripit, vnda fugam.  
 Spumantesque super graditur mors obuia fluctus,  
 Cui comes it sæuæ mortis imago timor,  
 Æolias acies inter Nerei que furores,  
 Sed qui naufragium naufragus ante suum est.  
 O vbi qui dubiæ fiducia certa carinæ,  
 Dux regat vndoso deuia vela salo!  
 Æolidum timor ille, sonantibus ille procellis  
 Terror, & iratis ira timenda fretis.  
 Vela vides crepitante super volitantia malo,  
 Diripit in laceros vis Boreæa sinus.  
 Iam fractæ tabulæ, fractusque per equora clauus  
 Abnatar, & seuis prora dehiscit aquis.  
 Nec Boreæ premit ille minas fluctusque minaces,  
 Turbida pacali qui regit astra manu?  
 Blanda nec irato submittit sidéra cælo,  
 Nobile queis claudit, siue recludit iter.  
 Bella quousque feri maris, Hippotadæque fur ores  
 Virgo feram, forti vix toleranda viro?  
 Visa queri: tacito sed id omne resorbet hiatu  
 Virgo; salus lacerâ cui rate nulla seder.  
 Iamque Helenæ trepidis sidus ferale carinis  
 Turbat, vbi cæco nulla stat Vrsa polo.  
 Sed teriti radio blandum iubar almus alumnus  
 Innuit, hæc oculi lux erit Vrsa rati.  
 Imò redux puer ille suæ ratis ipsa parenti,  
 Ancora tuta, rudens, carbasa, clauus erit.  
 Ne quis desit honos, & gloria digna carinis;  
 Dux reget hanc puppim, par cui nemo puer.

Naufragij quod si tulerit mala damna sub auro,  
 Sarciet hæc Gnari quæ fuit aura labris,  
 Illa serenando succurret idonea cælo,  
 Hinc sata vox Zephyros mille vel vna facit.  
 Sed quid ego ( sit fas vt me meus arguar error. )  
 Mentior infractæ naufraga damna ratis?  
 Et truncum fluitare salo sine pondere malum;  
 Aut volitare vagis saucia vela notis.  
 Mitte sub Æolijs vndosa pericula bellis:  
 Mitte sub equoreos impia flabra specus.  
 Tale nihil ( liceat quod res sit, dicere ) pinus  
 Hæc rulit; & Christo vindice ferre nequit,  
 At puppis medijs stetit inconcussa procellis.  
 Si qua procella tamen cælite puppe furit.  
 Crede mihi, hinc nullis tempestas læuijt austris;  
 Par tempestati sed dolor asper erat:  
 Sic tamen, vt nullus medio sit turbine turbo.  
 Queis dolor obturbat; corda serenat Amor.

## ELEGIA IX.

B. Virgo dubitat vbinam agat suus  
 Iesus, & cur se deserat?

1. Nescit vbinam agat puer.
2. Hinc matris dolor ubicumque degat filius.
3. Esto mori videatur, loco anima tamen in corde superstes vivit amor.

**C** Vrrit in amplexum passis Amor obuius alis,  
 Auius auerso sed fugit ore puer,  
 Iamque vias pede nudus obit, vel desidet herbis,  
 Fortè sedens ripâ fessas inumbrat aquas.  
 Fortè illi comes exululante recumbit in antro.  
 Fortè redux cælo, sol nouus, astra regit.  
 Hei mihi! surgentem pariter, pariterque cadentem  
 Specto diem: nec spes vlla, nec aura redit.  
 Quot gelidos liquido distillat ab aëre rores,  
 Quæ maderet humenti nubila Luna peplo:

Et mihi flens oculus tristes rot rorat in imbres,  
 Sed quibus alma noui gratia roris abest.  
 Et nox curarum funesta tot agmina cogat:  
 Pallida nimbo quot premit astra polo.  
 Puniceâ de nube rubens qui floret Eous,  
 Quot vibrat huc radios; tot lego corde faces.  
 Quam miseram messem lego flore fugace puelli!  
 Spicula quot Gnatu Matris in ossa iacit!  
 Nescio qui fiat, merus ut sit amaror IESVS,  
 Qui modo delicijs flos, fauus, vna meis,  
 Ut Deus est; superas fors ille recurrit ad arces.  
 Ut puer est; properat fors crucis arma pati,  
 Vultque diu lætę dare vulnera mæsta parenti,  
 Spicula longinquus, cui vibrat hostis amor.  
 Qua certę meus omnis Amor fugit exulis instar;  
 Huc mea vita piæ Matris & exsul abit.  
 Ite, licet ninei iucundo lumine, soles:  
 Solibus his mortis nox sedet atra meę,  
 Scilicet ut vitę mihi cor fons igneus ardet:  
 Sic amor est cordi viuida vena meo.  
 Palleat extremo lethi de frigore vultus:  
 Gliscet in exhaustis ignea vita fibris.  
 Vita sed hæc vitæ nullis obnoxia damnis:  
 Post animam, hoc animus corde superstes erit.  
 Vnde canam; gelidis mors cede sepulta fauillis:  
 Vita sub exsangui posthuma corde salit.  
 Nec valet his animæ vis ignea cedere venis.  
 Qui puer hic hæret vita perennis erit.  
 Qui latet, his nollit fibris excedere; cessit  
 Inde tamen mater Virgo quod alma parit.  
 Nonne diu mæste procul ore, sinuque parentis,  
 Virgineo cælum corpore corpus abit?  
 Nec sedet in gremio, quo se puer abdidit olim,  
 Et pars magna sui, sit prius hausta meo?  
 O vtinam puer, & sedeat sub pectore mater,  
 Ipsa mei melior pars vbi tuta sedet.  
 Quo melior pars ipsa sui se condidit olim,  
 Non sedet in Gnati pectore tota parens.

B iij

Consequat

Consequar ô vtinam! sed vbilibet ægra deerrat  
 In puero mater: si tamen error Amos.  
 Quid profugum iuvat ergo sequi, quæritue puellum?  
 Quem vaga si sequitur, se fugit ipsa parens?  
 Iam tot vbi terris sua viscera quærit alumnum,  
 Quærit; at incastum: tum sibi visa mori.  
 Forma perit, viresque cadunt. sed dicit IESVS,  
 Sic mage formosam, quo mage forma perit.

## E L E G I A X.

B. Virgo anxia quærit quæ sit  
causa fugæ.

1. B. Virginis amor erga suum filium.
2. Vbiuis IESVM inclamat, nec ille vsquam apparet.
3. Varias fugæ suspicatur causas, quas excusat.
4. Zephyrus leni sibilo solatur agram, & innuit puerum imo matris sedere sinu.

**C** Vrarum facundus amor cor vrit amantis,  
 Ac vbi sic vrit, dura per ausa rapit.  
 Statque pati duris quodcumque sequetur in ausis.  
 Ferrus in mortem pugnat, & ardet amor,  
 Præsertim genitricis amor, cui pulchrior ipso  
 Sole puer, cæcis solus oberrat agris.  
 Cerne, gemit, quæritque gemens, quem perdit IESVM.  
 Nescia quâ discors spesue mensue trahat,  
 Vix primæua rudi prælibat gaudia gustu  
 Mater; & hæc crudis mæror acerbat aquis.  
 Gnarus inexpertis trahit ah! vestigia campis,  
 Quaque trahit, Matrem vasta per arua rapit.  
 Indagat sylvas, segetes indagat, & antra,  
 Indagatque vagas peruaga fontis aquas.  
 Ingeminatque gemens mi IESV, paruule IESV:  
 Paruule mi IESV quælibet aura sonat.

Responsum

25

Responfant valesque caue; collesque specusque,  
Mi IESV, IESV, cætera ventus habet.  
Stagna sonant, tristesque petrae, nemorumque recessus;  
Mi IESV, IESVS omnibus errat agris.  
Cuncta patem Verbo reddunt loca consona vocem:  
Reddere sed Verbum tardat avarus amor.  
Ab duris scopulis matri pia congemit Echo:  
Nec miseret luctus te puer alme mei?  
Mittor an puero, queruli vox filia saxi,  
Reddat ut hunc rupes, quem rapit aura Deum?  
Vnde sed in molli rigor ah! rigor ille puello?  
Tale nihil puer hic ausus, & ausus amor.  
Quid blando fugit ergo sinu? vagus abripit error?  
Errer, inerranti qui regit astra manu?  
Ludus habet? ludat cui serja cura salutis?  
Prædo rapit? IESVS nescia præda capi est.  
Ara tener? magis apta sacris sed serior ætas.  
Astra terit? viduoq; faller in orbe fidem,  
Saque, superque licet dederit meruisse salutem;  
Vult supra meritum præmia plura legi.  
Quidquid id est, exul qui parvus aberrat amanti,  
Hei mihi! spem nudo frustrat vbique sinu.  
Spes inhiat ventis, vanisque stat obuia votis,  
Sed nisi tot ventis nubila vota refert,  
Et lacrymis, quæ sola graui super artha dolori est,  
Hæccine dos matri cælite pacta manu?  
Ut labor vsque redux iter vrgear, apta nec vsquam,  
Meta sit vlla fugæ, nec fuga tuta metu?  
Euoluam longi perplexa tot orsa laboris,  
Qui Labirynthon obit, nec Labirynthus adest.  
Sed fessis iam tempus equis præfigere metam;  
Et sat anhela vagam cura cucurrit iter.  
At leni ferit hinc alternus, & inde flabello  
Os Zephyrus: visus tale quid ille loqui.  
Quæris, ut inuenias qui te procul ardet IESVM;  
Te non inuentus sed magè quærit amor.  
Dexter adest, mæstoque gemens adspirat alumnae,  
Et vitam, & radios, & line nube iubar.

B v

Omnibus



Omnibus vnus amor nam perstat, & errat in oris;  
 Cui leue ceu punctum, sit breue mundus iter.  
 Excute Virgo sinum, sinus haud vacat orbis IESV;  
 Quem foris indagat, nescia corde tenes.

## ELEGIA XI.

**B.** Virgo dolore saucia ambigit, vbinam  
 puer fugam explicet.

1. *Suauius B. Virgo ex postulat cum suo filio.*
2. *Varios pueri sorte labores describit.*
3. *Timorem suum e cuiusvis rei occursum depingit.*
4. *Triste augurium de futura filij morte praesagit.*

**B** Lande puer, spinis qui me crudelibus vris:  
 Flos modo delicijs aureus ille meis,  
 Euge redi, nec lude diu mi Gnatæ parentem;  
 Ludere si fidij lufus amoris erit.  
 Non puer id, pueriue sinat, mihi crede, voluptas;  
 Nedum fraus tenero digna sit ista Deo.  
 Sed tamen ignotus fugis, ignarusque laboris:  
 Hinc error puerum fors grauat, inde labor.  
 Quis scit an vmbrosæ rudis vt stetit aduena Syluæ,  
 Ille latus molli molle reclinet humo?  
 Aut vbi iam fontem, liquidosque e fonte susurros  
 Auribus ac oculis hauserit, inde bibit?  
 Aut certè vt puer est, & imago simillima flori,  
 Lectitat auricomis lilia mista crœcis.  
 Hinnuleo uè adludit amans, blandoque sciuro,  
 Absterretque truces quo micat igne, feras.  
 Siue celer celeri terit ocyor ibice rupes,  
 Desertone trahit peruagus orbe moras.  
 Fortè calens hospes Memphitide squallet arenâ,  
 Fortè natat pernox amne papyrifero.

Fortè

Fortè Libyssa tenet Garamantide glareâ terrâ :  
 Sarmatis Arctoo fors tener Vrba polo.  
 Fortè Palestinas tener ille viator ad arces  
 Adurgit domino, qui premit astra, pede.  
 Fortè tenet Thrace, Grâis contermina campis,  
 Bistonis Ægæas quâ vehit vnda rates.  
 Sine pari librat fontes, & flumina ripâ,  
 Sive graui nixam pondere fundat humum.  
 Aureaue astrigeris intexit fræna quadrigis,  
 Et rapit ignipedes fulua per altra rotas.  
 Si non dura pati malit, mortisque dolores,  
 In pretium mundo quo sit emenda salus.  
 Quot timor inde ferit spinoso pectore curas !  
 Ipsa feram, IESVS quæ mala ferre velit.  
 Damula si qua tremit latrantes inrer & hastas,  
 Triste mei luctus omen opinor habet.  
 Si tremulo folio Zephyritide ludit in alâ,  
 Sive Napæa gemens, sibila siue Dryas ;  
 Si qua bidens balat deserris sola frutetis,  
 Atque vlular sauas bellua rauca minas.  
 Spesque, metusque pari dubium cor ventilat aurâ,  
 Et trahit alterno mistus amore dolor.  
 Ne qua sacrum metuo bibat impia spina cruorem :  
 Si modò non, certè post ea noxa manet.  
 Fortè lupos inter, meus inter & ingemet vrsos  
 Agnus, inexperto qui pede lustrat iter.  
 Hæ modò primitiæ, vel pignora prima doloris,  
 Hæc mihi venturæ præura tela necis,  
 Si pueri fuga sic torquet, flosque integer æui ;  
 Quæ de morte viri spinea messis erit ?  
 Spinea messis erit, quam plurimus imbuet imber :  
 Sed mistus lacrymis hoc fluet imbre cruor.

ELEG. 12.

## ELEGIA XII.

B. Virgo felicitatem illius diei deprædicat, quo filium reperiet.

1. *Quærendum sibi adserit puerum.*
2. *Suspiciatur eum edocere pueros.*
3. *Felicitatem suam quando redibit puer, enarrat.*
4. *Quærendum ideo sibi adserit.*

**E**st vbi quæsitum mihi spes promissit IESVM:  
 Est vbi promissam spes mihi fraudet opem,  
 Est vbi sardâ domus clausum subducatur alumnum,  
 Dissimulerit atro cæca latebra specu.  
 Attramen est etiam qui fallat vbiliber error:  
 Vt pueri nusquam sit reperire viam.  
 Quod super, errandum vario cum sole per oram  
 Ifacin, Ifacides his meus errat agris.  
 Fallor? & hîc alter Iosephus oberrat IESVS,  
 Quærat ut hîc fratres, quærat & agnus oues?  
 Suspitor, ut puer est, pueris comes, ille magister  
 Hæret: ut his magnum nunc agat ille virum.  
 Erudienda viris pueros documenta salutis  
 Erudit, ab Verbo vox nisi sancta venit.  
 Seu tacet; ingenuo pudor hunc decet ore puellam,  
 Seu pia verba facit, lingua modesta decet.  
 Talis agit picto lux discolor iris in imbre,  
 Solis vbi speculum vitreus arcus agit.  
 Opto quidem tali fruar ô iam luce! sed eheu!  
 Tale quid oprantem frustrat auara fides.  
 At tu sancte faue, tibi se nec adoptet alumnum  
 Alter amor; Gnatus quàm meus esse velis,  
 Quæ mihi te reddet lux ô dulcissime IESV;  
 Illa mihi festos interhabenda dies,  
 Nobiliore rosam ver pulchrius induat ostro;  
 Hinc ut stet pueri digna corona comis.

Ac Simpl

At simul attigeris rosa purpureusque hyacinthus,  
 Sidereas vestro sidere ducet opes,  
 Ocyus huc igitur rapidas sol flectat habenas,  
 Transiliatque agili cœrula regna rotâ.  
 Iessëidæ refugas ad vota retorfit habenas, (a)  
 Iuit & Hesperijs alter Eous aquis.  
 Et nunc Iessëidum dominæ, magnæque parenti,  
 Lentus adhuc rapidis fræna retrahet equis?  
 Felix ille dies! felicior ille triumphus!  
 Quo reuheret niveis sol mihi numen equis.  
 Sed quid opus cælum votis implere? quid optem,  
 Scis mi Gnate; satis vox erit vna: *Redi.*  
 Ergo redi mea lux, quouis formosior astro.  
 Læta canam solem tunc rediisse meum.  
 Ergo redis? miseram spes perfida ludit alumnam:  
 Perfida, grata tamen te duce, spondet iter.  
 Usque peregrinis sed adhuc quid persequor aruis,  
 Quem reperit quouis tramite, quisquis amat?  
 Scilicet absentem specto, quem nescia quæro.  
 Omnia perspicuo lumine mutat amor.  
 Lynceus ille (licet densis nox obsita nimbis  
 Damnat iter) puro signat in igne diem.  
 Ignis ad hoc nomen, cui lux par splendet Eoo;  
 Dicebam; celeres prorinus ite faces.  
 Ite faces, rutilæque nigras irrumpite sylvas:  
 Ardeat in clarum iam nigra sylua iubar.  
 Non mihi sit curæ quod sol Phaëthontide flammâ  
 Ardeat. hic Phaëton si pius ardet Amor.

(a) *Ezechias Rex ubi eger decumbit sol in horo-  
 logio Achaz decem lineas retro descendit, in signum  
 vite tot annos illi prorogande.*

**ELEGIA**

## ELEGIA XIII.

B. Virgo Gabrielem inuocat, vt quem  
sibi nasciturum annunciauit,  
iam natum indicet.

**C**onsului cœlum; nusquam vox nuncia cœlo  
Appulit, vt Bethlæ nox vbi festa canit,  
O nimis iniustos ( audebo dicere ? ) cœlos  
Qui Domino & Dominæ munia iusta negant?  
Quid nisi cœlestes Verbo de cœlitate voces,  
Hauriat hic bruto terra sepulta mari.  
Huc vt ab astrigeris Sapiencia deuolat oris,  
Astrigero & tellus discat ab orbe Deum.  
Facta placent, facienda peto solatia Diuûm,  
Nunc opus his, illis iam prius vsus erat.  
Sed quia nunc cœlum silet; ô pius aduena cœlo,  
Adferat hoc saltem, cæca quod opto, iubar.  
O vbi nunc prius ille celerrimus auspice Verbo?  
Numinis interpres sic mihi lentus abes?  
Suggere lucis iter, quali Nasareius hortus  
Claruit & Bethle: suggere lucis iter.  
Aliger ô Verbi sacer obsec, an altera rursus  
Nuncia, quæ tuleras læta, referre piget?  
Ad tua verba puer si sese hæc clausit in aluo,  
His oculis saltem tu modò pande viam.  
Nuncia vel blandis aurem, vox imbuat auris,  
Vt prior, hic vocis dulcis & vsus erit.  
Non nisi gignendum vox prima spondit alumnum;  
At genitum blando postera reddet aue.  
Immemor ergo piæ Gabriel sic ipse parentis,  
Vt quod sepe dedit, non semel addat aue?  
Et quantum fuerit nunc vna vel altera matri,  
Si nota reddat aue, quò sit habenda salus.  
Omina Noçæ si pacis amæna carinæ (a)  
Chaonis ab sicca detulit ales humo:  
Naufraga quæ in lætam sese induit arbor oliuam,  
Et victrice stetit pulchra carina rati.

Quid

Quid verat & mēstæ quis vt adferat alba parenti

Signa, reuersuris nuncia signa Dei.

Tuque adeo primus, cuius de voce salutis

Fons ijt: huic simili nunc pede riuus eat:

Euge, quid ô tardas ? signo celer indice IESVM

Adfere, & adfero Numine mater ero.

Mater ero fælix. Gabriel dabis inde parenti,

Vt propè concipiat bis paritura Deum.

(a) *Columba emissa ab Noe post diluuium oliuæ ramum retulit ad arcam, signum pacis diuina.*

### ELEGIA XIV.

B. Virgo in fonte, quem suis è lacry-  
mis conflata, pueri sui effigiem  
credit exprimi.

1. *Varia B. Virginis ratiocinatio & gemitus.*
2. *Eius densis è lacrymis fons paruus coit in gremio; siue amoris sui speculum.*
3. *In eo pueri sui effigiem speculatur.*
4. *Inuitat fortè obuium viatorem, vt puerum hic contempletur.*

Vota parens Solymas solennia reddit ad aras,

Atque adolet puris thurea dona focis.

Marris at ab dextrâ furtim puer abstulit. errat ?

Errat agris ? Solymâ quâ latet, vrbe stetit.

Non itidem mater, modò quæ secuta pericli,

Nescia iam dubio puluere flectit iter.

Vestigatque suos procul anxia mater amores,

Siue latebra regit, seu sola nuda tenent.

O quoties Zephyris sua vota renarrat, & astris ?

Et lacrymas, pluuiæ quæ vice nubis eunt.

O quoties gemit ah ! ( quod suspicor. ) incluta matris

Præmia fors tellus, forsân Olympus habet.

Hee

Hæc Genitrix, rapidas animo dolor inijcit ignes,  
 Illa flagrat, tepidas eliquat ardor aquas.  
 Turgida rorantes impellunt lumina guttas,  
 Et lacrymis lacrymas stilla caduca trahit.  
 Deque dolore dolor fluit, & fluit imber ab imbre,  
 Mille cadunt rores, nubila mille tument.  
 Donec aquante sinu steterit liquor ærumnosus;  
 Nam sinus his lymphis alueus aptus erit.  
 Unde sibi liquidum nitidus fons colligit æquor,  
 Et mœstus speculum lugubre conflat amor.  
 Hic nitidâ lymphâ quem rebar abisse per agros,  
 Lymphida, cerne, puer totus imago niter.  
 Hic oculos, hic ora leges vultumque viator.  
 Cætera virgo pio lyncea corde tenet.  
 Quem non dulce trahat sub fidereâ crystallo,  
 Quæ niter in liquido blanda figura vitro!  
 Quisquis ades, pictis speculari viator in undis,  
 Quid puer, & pueri forma venusta velit.  
 Te (viden?) inuitat placidis argutus ocellis;  
 Et piget arguto quo vocat ore sequi?  
 Si sapias, & quid ni sapias? bibe fonte salutem,  
 Quem virgo lacrymis fudit amara suis.  
 Imbuet es castum baccâ ros purior omni.  
 Atque his inuideat diues vt Hermus aquis.  
 Ne pigeat pueri de fonte bibisse figuras,  
 Neue sinas cæcis auehat vnda vadis.  
 Nec puerum remnas, paruo non parua redundant  
 Gaudia, quis Diuum remnat auarus opes?  
 Dicere blanditias volui, quas numine dignas  
 Hic tibi spondet honos, seu magè donat Amor.  
 Quò fugis ah demens, via quem vocat obuia cælo?  
 Sic miser an messes negligis ergo tuas?  
 Talia virgo monet, secum sed talia iussat,  
 Qui velit, hinc fugiat, non ego promta sequor.  
 Ante tamen Gnatum flens contemplabor aquoso  
 Hoc speculo; blandas afflat imago faces.  
 His in aquis quem specto, pius puer vrer alumnam  
 Ipse suam: pulchris pulchrior vrar aquis,

Non decor hic Nirei (quid enim nisi fabula Nireus!) (a)  
 Sed puer vrit amans oris imago mei.  
 O ego formosis mergar bene naufraga lymphis,  
 Iesseide flori flos rediuuius ero.

(a) *Nireus & Narcissus ubi suam formam  
 in fonte admirantur, præ sui amore in eo se demer-  
 gunt. Porro è puero Narcissus in florem emerfit.*

## ELEGIA XV.

B. Virgo, quale quale solatium suo  
 expetit dolori.

1. *Laborum moles defessam matrem opprimit.*
2. *Querit in syluis solatiolum ab animum incun-  
do cantu.*
3. *Miram syluis odoris & laxis gratiam Virgo  
conciliat.*
4. *Philomela eam frustra nititur recreare.*
5. *Sola vox turturis placet.*

**S**ic mea vita fugis? si te nil lætior olim  
 Flexit Amor, tristi aëctat amore dolor.  
 Deque dolore labor tot vbiliber obuius oris,  
 Umbra quibus nusquam nulla vel aura redit.  
 Ast vbi vis cæco stæt mera sequestra dolori,  
 Si mea vita perit, si via & ipsa fugit.  
 Quid tandem super? ergo satisque nimisque laborum,  
 Errorumque sequar dulce quietis iter?  
 Hic vbi condensâ cedro, densâque cupressu  
 Lucus, & vmbroso nox viret alma solo:  
 Succedo, mæstâque gemens subido sub vlmò;  
 Lata tot ærumnis hæc dabit vlmus opem.  
 Hic certè meropum, fringillarumque querele,  
 Cecropidesque sonant lugubre carmen aues.

**C**

**Nunc**



Nunc erit indè graui solamen dulce labori,  
 Quod dabit argutis aura susurra modis.  
 Dixerat, ætheriumque gemens circumspicit orbem  
 Cum lacrymis : lacrymæ verba gementis erant.  
 Fletus vt ambrosios syluis adspirat odores;  
 Sic fata lux oculis lustrat amana nemus.  
 Mirantur roseas auras, mirantur & ignes  
 Insolitos syluæ, syluicoleque greges.  
 Omnibus in cedris, simul omnibus in cyparissis,  
 Quæ sedet in viridi plumea turba toro :  
 Suspensis oculis inhiat, rostrisque decorum  
 In caput, & gaudet Virginis ore frui.  
 Nescio quid secum furtiuo murmure mustant ;  
 Velle loqui credas sensa quid ima velint.  
 Certatimque parant blandis mulcere susurris,  
 Anxia Virgo tui triste laboris iter.  
 Adspiceres volucris quasi texere nube coronam,  
 Vocalique caput cingere dulce choro.  
 Hic merulæ, turdique & achantidi mista palumbes,  
 Ingeminant varijs murmura rauca modis.  
 Æmula præsertim vox Attidi certat acanthis,  
 Argutarque pares illa vel illa sonos.  
 Nunc tenuat claro, fusco nunc murmure vocem  
 Deasat, & in medijs ludit vtrimque modis.  
 Nunc tremulo crispat flexu, reuocatque canorem,  
 Nunc celer in longas explicat aura moras.  
 Visa fuit puerique decus, Matrisque decorem,  
 Attis auis pulchrâ tum cecinisse lyrâ.  
 Parce sed ô læto philomela magistra canori :  
 Lætior in tristi corde quid aura facit ?  
 Auris in illecebram dulces cur erudit auras  
 Dædala vox, Verbum si sine voce fugit ?  
 Mollior eduro nil detrahit aura dolori,  
 Vt quid adhuc blandos fundis amica sonos ?  
 Docta quidem suaues variâ trahit arte canores,  
 Sed nihil ad gustus vox facit ista meos.  
 Desine Mater ait : tua tu tibi gaudia canta :  
 Qui gemit hic tristis, vox mea turtur erit.

Turtus

Turtur erit philomela meis nunc apta querelis,  
 Dum gemet hic concors turtur; & ipsa gemam.  
 Quis scit an ad Solymam gemini par turturis aram  
 Matris, ut & pueri questibus augur ijt?  
 Quin & tunc puero qui vltima defuit, agnus,  
 Abfore nunc agnum forsan & omen erat.  
 Si gemebunda mei tunc turtur imago doloris:  
 Heu! ego nunc vidua turturis instar ero.  
 Ut semel irrupit dolor in pia viscera Matris,  
 Cor tenerum lento vulnere semper edet.  
 Nam noua læsus amor ieiunis pabula flammis  
 Sufficit, hinc iugi pascitur igne dolor.  
 Ut Solymæ vigil vsque nouis flagrat ignibus ara;  
 Sic & inextincto corde perennat Amor.

## ELEGIA XVI.

B. Virgo queritur felicem prius sortem  
 inuerti, suoque gremio agnum  
 carissimum elabi.

H Ac fors læta renus viridi præfloruit quo,  
 Cui ceu sol, roseo lumine risit Amor.  
 Vertitur; in tristes nunc excidit altera spinas,  
 Sepit iter spinis aspera cura suis.  
 Scilicet ille meo gremio modò tuta voluptas;  
 Nunc timor ignotis agnus aberrat agris.  
 Sic ah! sic placidam fugit errabundus alumnam?  
 Si tamen hic errat, qui via, vita, salus.  
 Quicquid id est, dextrâ procul abstulit ille parentis;  
 Nec redit ah! fallit sic meâ vita fidem?  
 Sic vidi gravidas lanâ ceu pubere gemmas  
 Fallere; cruda rudi queis vitet vua meror.  
 Autumnique fitim siccis eludere prælis:  
 Mentiri que pari poma caduca dolo.  
 Quæ tibi facta prius Thecuii doloris imago;  
 Heu! nimis est verus iam mihi facta dolor:

C ij

Quæque

Quæque bidens blandæ gremio iudebat alumna,  
 Lugubris ærumnis it modò cura meis,  
 Agnus enim quo non sit pulchrior vllus, & vllus  
 Purior, aut caræ carior vllus heræ;  
 Deliciæque meæ, nunc ah! dolor ipse parenti est:  
 Dum perit; aut certè mœsta perire queror.  
 Qui modò dulce decus; sub pectore tristis amaror  
 Hæret: vt amissis spina reli&ta rolis.  
 Dextra priùs lætæ quid me iuuat alea fortis,  
 Matris in ærumnas si modò læua cadat?  
 Aura leues turmas, pascit sua sidera cœlum:  
 Squamea Neptunus pignora, terra feras,  
 Ast vnum, varij mihi qui gregis instar, vt agnum  
 Pascere vix cœpi; ceu celer Hinnus, abit.  
 Quæ fugitat; vitam rapit auis ipse parenti.  
 Ah! duo cum viuant; orba duobus ero.

(a) *David ubi Vria suam Bethsabæe cruento  
 adulterio eripuerat; Nathan subornat Thecuntem  
 sapientem mulierem ab Davide ius dari exposcen-  
 tem, quæ fingeret sibi vnicam fuisse ouem, suam  
 alumnam & delicias, quam vir potens, & pecoris  
 diues sibi extorserit, vt inde epulum suis conuiuijs  
 strueret. Quo enigmate Nathan Davidi suum flagi-  
 tium vti adultero, & scelus vti tyranno in Vria cade  
 exprobrat, & ad pœnitentiam impellit.*

ELEGIA XVII.

Deflet B. Virgo vnicum sibi  
 abesse agnum.

1. *Dolet vnigenam sibi abire agnum.*
2. *Suam diligentiam in eo quarendo ostendit.*

**E** T Virgo, & Mater primæui criminis exsors,  
 Hoc merui? castam linquat vt agnus ouem?

Et

Et fugiat? mihi num furit ira cruenta leonæ?  
 Aut ferus hoc gremio pardus & vrsa seder?  
 Tale nihil meditata parens; nec id ausit: amorem  
 Quid nisi spiret amans, cui suus agnus amor?  
 Sed tamen ille fugit, procul arua per auia, nullum  
 Si fuga crimen habet: criminis instar erit.  
 Innocuæ nocet hæc matri, queis peruagus errat  
 Agnus, & errat ouis peruaga mater agris.  
 Nec datur ipse meas tener influat hospes vt vlnas,  
 Materno que legat gaudia iusta sinu.  
 Cur mihi non vnum fors improba linquit alumnum,  
 Quem pascat lacrymis mater amica suis?  
 Ante quidem memini Syrijs, Arabisue viretis (a)  
 Sepphora pascebat, siue Rebecca gregem.  
 Nec pudor vllus erat, si peruaga Virgo bidentes  
 Quæreret, incertis quas rapit error agris.  
 Ille Syræ mos quippe nurus, Arabæue puellæ:  
 Et meus ille Syrà nunc labor ibit humo,  
 Haud equidem numero centum de matribus agnos;  
 Mille sed hîc agnis par meus agnus erat.  
 Sit licet ignotus nuribus, pecorisque magistris,  
 Vnicus innumeros dux regit ille greges.  
 Iesseides proauus quem pascere sæpius arsit;  
 Arsit & ipse parens pascere Iesseides,  
 Hunc ego pascebam: rapidi sed turbinis instar,  
 Inuidus in cæcos abripit error agros.  
 Quæro; sed exsul abest. rupes inclamo, silesunt.  
 Rore precante gemens aduoco, surdus abit.  
 Quæ spes vna super: lacrymas has opto vel absens.  
 Specter; in his agni lucet imago mei.  
 Quam si spectet amans quo non est pulchrior agnus,  
 Se volet ex speculo tum propiore frui.

(a) In Mesopotamiâ & Arabia. Ibi Rebecca  
 patris Laban: hîc Sepphora patris sui Iethro greges,  
 esto puella pascebant.

## ELEGIA XVIII.

Ardor quærendi Filium, & bonum  
omen inueniendi.

1. Dolor matris in quarendo filio.
2. Queritur nusquam vestigium solum ostendi.
3. Non nemo Virgini insusurrat puerum in templo agere.
4. Bene ominatur Virgo è templi nomine.

Q Visquis ades, nostris aures ne claude querelis,  
Et lacrymis oculos inde reclude tuos:  
Ac graue cor aperi iusto quem dicto, dolori;  
Quæque gemens patior, vulnera disce pati.  
Hei mihi! viuacis numero tria sæcula mortis:  
Tertia puniceis lux vbi surgit aquis.  
Roscida quot læso pede supprimo gramina pratis:  
Tot succos aloës exprimit inde dolor.  
Hinc bibulis venis haurit cor triste venenum, (x)  
Quale dolor Myrrhæ, vel colocynthis alit:  
An tot delicias iucunda puertia fudit;  
Hinc vt fella parens mortis amara bibat?  
Exitus ô tristis! quem fors vaga mutat in horas,  
Prima quod hora dedit, postera noxa rapit.  
Sim licet ipsa parens, tamen occupat alter alumnum:  
Et fruitur votis, ne fruar ipsa meis.  
Antè sed obscuro mors corpus auara sepulchro  
Hauriet, aut spinis induet hirta pedes:  
Quàm via longinquis Gnatum mihi diuidat oris;  
Tollat & affectus auia terra meos.  
Cor ferus infertis quod si dolor appetat hamis:  
Id mihi pars certæ magna salutis erit.  
Stat lacrymis, stat voce loqui, stat rumpere voces.  
Cor tenerum duro dente momordit Amor.  
Sic gemit, in medijs ceu damula saucia dumis,  
Spinea cui læsus causa doloris Amor,

Pectora

Pectora nunc onerat voris, nunc ora querelis,  
 Nunc oculos fletu, nunc coquit igne sinum.  
 Nunc longum meritur iter, stadiumque laboris,  
 Quot polus astra; gerit corde tot ipsa faces.  
 O quoties læui turbant iter omnia casus!  
 Spes quoties duro pugnat in erma metu!  
 O quoties iussas audire, & reddere voces  
 Spes erat: & quoties futilis aura redit!  
 O quoties ceu spina, novos noua cura labores  
 Parturit, & nullam spem timor asper alit.  
 Sustineat tam grande nefas lux conscia Diuum,  
 Nec radijs lignet quæ regat umbra, Deum?  
 Præsertim Solymæ turres vbi lustrat, & arces,  
 Siue Sionæas ardua saxa domos.  
 Ignaræ at Ramæ turres, nec conscia Sion.  
 Vlla nec impresso stat nora sculpta solo,  
 Mæandros hîc mille iugis, & mille viretis  
 Implicat, alternas cura remensa vias.  
 Dein gemit ægra, grauesque sacrâ trahit vrbe labores,  
 Virgo suburbanos vt fat obiuit agros:  
 Et notos, simul ignotos appellat, & omni  
 Colle redux, nullâ repperit arce Deum.  
 Tum quis vt in populo quid leue susurrat in aurem:  
 Pene manu tangis, quem pede cæca fugis.  
 Haud procul hinc hæret Solymas vt opinor ad aras;  
 Deprendi facilis per sua signa, puer,  
 Sic ait ille, parens hæc tum sub pectore voluit,  
 Cui salit argutis pupula dextra modis.  
 Quem rapuit templum, templum mihi reddet IESVM.  
 Sed quid opus templo? gratior ara placet.  
 Ara placet, quæ corde sedet, pia vota parentis,  
 Gratius hæc omni farre, meroque litat.  
 Quò Panchea segès? grandes quò thuris acerui,  
 Et quid odoratis libat acerra focis?  
 Gutta vel vna pijs oculis quæ stillat amorem;  
 Illa Deum suauis thuris vt igne, trahit.  
 Disce quid inde nouâ voueat puer arte parenti,  
 Ipsa manus vulnus quæ dedit, addet opem.

Tanta redibit enim Gnato redeunte voluptas :  
 Quantus ab amisso moror, & error iit.  
 Tristibus & lætis nam libra stat obuia rebus,  
 Pondus utrimque suum iustus adæquat amor.

(a) Myrrha Virgo probri impatiens, in arbuscu-  
 lam sibi cognominem fingitur versa. Vnde amara san-  
 cio ad solem cortice, lacrymæ deliquescunt.

### ELEGIA XIX.

B. Virgo optat pueri radio, voce,  
 vel reditu frui.

1. B. Virgo suum dolorem declarat.
2. In eius solatium optat radium, vel pueri ad-  
 loquium.
3. I E S V M inuitat.
4. Esto absit, adserit tamen suo inharere cordi.

**N**escio maternis puerum quis diripit vlnis ?  
 Error id, an pueri ludus amantis erat ?  
 Ludus amantis erat? ludi mora longa: sed cheu!  
 Seria noxa, puer si fugit, error erit.  
 Sed via si sit certa; vię foret error I E S V S:  
 Si fugit hic matrem; non fugit exul Amor.  
 Quidquid id est; lentis carpit mea viscera flammis.  
 Error agit curas, cor amor æger edit.  
 Et dolor ærumnis accendit vt Ætna, medullas,  
 Dum mea lux cæco deuia calle fugit.  
 O sit fas, tenuem radium de Numine libem!  
 Gratius id quouis sidere sidus erit.  
 Aut saltem liceat dulces haurire susurros!  
 Grande Dei Verbum, quid puer ora premis ?  
 Ipse vides, certè votis quàm parca superstes  
 Sit mensura meis; dona nec vlla voties ?  
 Quid minus ah optem? cui maxima maximus infans  
 Offerat; ab puero qualia dona fero!

Quid

Quid tibi causa fuge? Rex alter an vrget Idumes?  
 Bethlemidum cædes altera lica fuit?  
 Viderit hoc Rachel, olim tot passa dolores,  
 Asper vbi molli pectore mucro stetit.  
 At nuceas tener hospes amor nunc explicat alas.  
 Pax sedet hîc; mediâ pace quid arma times?  
 Quâ te cumque trahet varijs via sparsa viteris;  
 seu Solymâ, Solymo siue vagaris agro.  
 Quid nisi saxa teres teneræ metuenda iuuentæ?  
 Hîc probra sparsa foro, resqua vel hirta rubis.  
 Nonne tibi Solymæ scopulis, lustrisue, ferisue  
 Mater, & hîc gremij dulcior vsus erit?  
 Hîc nescis! faciles aditus, tutique recessus;  
 Hîc fons delicijs ô mea vita, tuis.  
 Hoc gremio securâ quies: hîc pacis asyllum.  
 Quid tibi cum sæuis pufio blande feris?  
 Vt quid aues, cui tuta salus, certare perichis.  
 Hinnule belle tuis quæ tremo, siue meis?  
 Asperior letho lethi timor vrget anhelum  
 Pectus, & umbra necis mille dat vna neces.  
 Sic genitrix: sed enim surdas puer abstulit aures.  
 Irrita cum puero verba tulere noti.  
 Ardet adhuc, auidoque ardens, indulget amori.  
 Nec tamen ab Solymo monte reflectit iter.  
 Ergo modum longis Virgo iam pone querelis.  
 Pone modum votis: spes rata vota vouet.  
 Dum licet, ac omni volitat tibi currus arenâ;  
 Si sapias, in primo carcere siste rotas.  
 Nempe tuo Gnati sub corde recurvat imago:  
 Haud secus alternis ac rota versa vijs.  
 Attamen, esto nouo puer orbe recurrat in orbem:  
 Semper inexcussus perstat vt axis, amor.  
 Cæcus ego varijs quem currere rebar in oris,  
 Pulchra puer casto ceu rosa, corde sedet.  
 Quid nisi Virgo tuum flos tam formosus Amorem  
 Ambiat, hoc fructum quo tibi flore legas?



## ELEGIA XX.

Iosephus longo viarum amfractu  
exoptat expediri.

1. Ioseph ubi panem Ierosolymam attigit, puerum non offendit.
2. In novos labores revoluitur.
3. Queritur se quasi labyrintho implicari.
4. Inde B. Virginis ope gestit explicari.

**I**N varias Ioseph mens scinditur anxia curas,  
 Donec Iessera iam stitit aere gradum.  
 Ut stetit ad templum, sustollens lumina caelo,  
 Haec, ait, ara noui carcer agonis erit.  
 Nullus enim paret puer hic, ubi plurima balat  
 Agna; sed hic vnus quem sequor, agnus abest.  
 Hoc pius ille puer, quo nemo suauior, eheu!  
 Sustinet hanc Matri soluit an ergo fidem?  
 At pueri blandos ut suauier vduis ocellos;  
 Quamlibet inmensas haud piget ire vias.  
 Stat Solyms campos, camposque Pharanidos ora,  
 Metiri rapido vasta per arua gradu.  
 Ite pedes, oculique, puer vacat, ite salutem  
 Quærite; quærentes præmia certa manent.  
 Est aliquid propiore gradu tetigisse Tonantem,  
 Quis scit an his oculis hausero dulce iubar?  
 Si nihil hic aliud, vigil hæc indago salutis;  
 Tessera securi semper amoris erit.  
 Nil crudum Borean, & ouantem turbine Caurum  
 Demoror, aut plunijs nubila færa notis.  
 Dum pia cœpta premo, mihi turbo serena fit aura:  
 Cura vadat curis, spes ubi certa salus:

Si modo

Si modò certa salus, mihi sit via cœca salutis.  
 Mille pererro vias, nec tamen vna via est.  
 Scilicet ille graui qui sit via certa labori,  
 Immemor ipse sui dum fugit, error abit.  
 Sed labyrinthon inextricabilis implicat error,  
 Quem fugiens dubio tramite trames obit.  
 Quis dabit obliquos vaga quâ trahit orbita flexus,  
 Expediam celerem plana per arua fugam?  
 Ne qua gradum cæcis ambages fallat arenis,  
 Neu sequar incertis certa pericla vijs.  
 Tu mihi sis Virgo fictâ sub imagine veri,  
 Quod fuit erranti dux Ariadna viro.  
 Quo regat errabunda rubens vestigia filum;  
 Huc mihi purpureâ stamina nenda colu:  
 Et labyrinthæa deduc ambage viarum.  
 Suadet amor, suadet natus amore dolor.  
 Sed quid opus stamen, vel stamine rextilis index?  
 Quæ micat ex oculis, lux mihi stamen erit.  
 Aureus hinc radius densas qui persecat vmbas,  
 Gnostiados filo dux magè fidus erit. (a)  
 Annus vel tantum, Dux ibis, & ibit ab vno  
 Trama micans oculo, quæ mea cœpta regat:  
 Quin & purpureo IESV me stamine duces,  
 Quod tua Virgineo sanguine vita trahit.  
 Hæc via certa meo ni meta sit apta labori:  
 Panem Deum réperit, quem benè quærit amor.

(a) *Ariadna Minois Regis filia Theseum labyrintho involutum, ductu filii euoluit.*

ELEG. 21.

## E L É G I A XXI.

Optat Mater redeuntis Filij  
amplexum.

1. Adserit B. Virgo se arctissima filio velle stringere in amplexu vincula.
2. Inde suas delicias enarrat.
3. Gratissimum fore peregrè redeuntis filij aduentum prædicat.

**O** quis erit viduæ Mariæ qui reddat IESVM  
 Plus nimio faustus terque, quaterque dies!  
 Ifacijs quæcumque viret modò byssus in agris, (a)  
 Elide vel linum nobile pubet humo:  
 Haud adeò firmo detexet stamine nexum:  
 Vt tenera nectam fortia vincula manu.  
 Quid prohibet Gnato molles innectere nodos,  
 Si sociam concors iungeret vltro fidem?  
 Deque peregrinis matri tener aduena regnis,  
 Adflaret radios, qualibus astra regit?  
 Tunc ego puluereâ squallentem nube puellum  
 Discuterem, purâ sedula Virgo manu.  
 Et calarho quod promat Amor florente, leuaret  
 Dextra famem libo, fonte sinistra sitim.  
 Si non excideret fons, & scyphus admiranti;  
 Nostra puer radijs dum ferit ora suis.  
 Hos sed vbi premeret radios, quos vibrat ocellis;  
 Tenderet in dextram, par vbi tendo meam.  
 O nimium felix alias tunc ante parentes,  
 Si puer hinc, mater iungeret inde fidem!  
 Carior his oculis, & carior hisce medullis,  
 Carior & diuis omnibus ille puer.  
 Sed quid? abes, nec tangit amor vel cura parentis  
 Te puer ô animæ lux, animusque meæ?  
 Ergo vale. flens extremum quod deprecor, hoc est;  
 Si te nulla mei tangere cura velit,

Sed tangit te cura mei, nec vota moraris.  
 Si fuga mors matri ; vita recursus erit.  
 Quando sed ô ! quàm grata dies redeunte redibit  
 Cum puero ! quæ tum gaudia pascet amor !  
 Rupe salit fons. riuus abit de fontibus, amnis  
 Defluit, è quouis dulcis it amne liquor.  
 Deque peregrinis gratus venit hospes arenis  
 Flos, vel gemma, noue seu magè frugis odor.  
 Ros de nube, fauus de rore, fauoque voluptas:  
 Dulcius at pueri nectar ab ore fluit.  
 Grator & quouis terræ vel munere cæli est ;  
 Advena longinquo qui redit orbe puer.  
 Spes quæ sera venit, fit seria sæpè voluptas  
 Dum memor elapas ruminat hora moras.

(a) *In Indea optima byssus, siue subtilissimum li-  
 num nascitur. Pansa: Vti & apud Elim in Graciâ,*

ELEGIA XXII.

In viridario Mater sui Filij ve-  
 stigia deprehendit.

1. Eodem se Virgo optat conferre, quò se puer contulit.
2. Tandem ad fontem deprehendere pueri vestigia videtur.
3. Alloquitur flores circa nascentes, eosque interrogat.
4. Ipsam pueri fugam asserit loqui suos labores.

VOX B. VIRGINIS.

**M** Vta diu, longos exhaustit Virgo labores,  
 Iam tandem tenui sic gemit ægra sono.  
 Vox si nulla meis interpret idonea votis  
 Adsonat ; errantes quâ fero eumque gradus.

Si qua

Si qua puer dari perreptas aspera montis,  
 Quem cauat exeso panda latebra specu;  
 Hic ego tum sedeam tenero vox obuia Verbo,  
 Ut loquar erumnas mater, & agra tuas.  
 Nec dubito, similes reddent pia saxa querelas.  
 Et IESVM discent matre querente queri.  
 Aeternaque volent insculpi rupe figuras,  
 Queis memor erratas signet imago vias.  
 Viderit has mater; plures trahet inde dolores.  
 Quæ simul ac puerum perdidit, orba perit.  
 Hic breue quid vocis longinquo Virgo labori  
 Miscuit; inde nouum sedula carpit iter.  
 Donec ad exigui detuenit amœna vireti;  
 Hic reperit Gnati flens monumenta sui.  
 Et caua signa pedum, siccosque in puluere sulcos  
 Cernit, & humenti gramina pressa toro.  
 Hæc simul aduertit; lacrymas instillat arenis,  
 Osculaque herbofis imprimat vda locis.  
 Virgineis impressa labris hinc, inde videres  
 Gramina florentes gignere veris opes.  
 Iamque prius virides sese transfundit in herbas  
 Purpura, quæ roseo Virginis ore stetit.  
 Flosque trahit similem pulchrâ de matre colorem  
 Et similis violas Virginis adflat honos.  
 Constitit admirans vestigia conscia Verbi,  
 Aurea de Verbo queis sibi lingua subest.  
 Nec mora longa, nouas sic est exorsa querelas;  
 Cur fileat Verbo iam duce docta loqui?  
 Ah! ita felicem mihi quis sol inuidet horam?  
 Sera quid huc tardos derulit hora pedes?  
 Nec tum sol auido celer impulit orbe quadrigas,  
 Meque suis pennis induit ales Amor?  
 Dum tener has bibit hospes aquas, & sedit in herbis;  
 Tunc ego quàm felix, si licuisset, eram!  
 Abs hoc si liceat me querere pauca vireto  
 Cui puer insedit; querere pauca lubet,  
 Vnde rutilum trahis vsque decus, trahis vsque colorem.  
 Tu croce nil domini, nec rosa gnara tui es?

Omnis & ignarus flos, omnis & arbor, & omnis  
 Herba; memor Gnati planta nec vlla mei est?  
 Specto gemens molli vestigia didita prato.  
 Nec specto profugos quo ferat ille pedes.  
 Si loquitur tristi violæ coma tincta liturâ;  
 Quid verat herba pari sorte sit apta loqui?  
 Iamque suis folijs pingat, quem tangit IESVM,  
 Flos memor vt doceat, quâ ferat ille gradum.  
 Quid facit in violis & lugubre mortis in omen?  
 Dic potiùs gaudî candida signa notet.  
 Nunc igitur puer his Verbis se prodat; vt olim  
 Prodidit è sceno conscia Berhla suo.  
 Nonne Ceres virides hîc se tum comsit in herbas;  
 Sicca prius, lætas facta sed vda comas.  
 Nulla sed in violis pueri memor hæret imago;  
 Nullus & in pratis illius adflat odor.  
 Meque latet, fuga & ipsa silet quascumque per oras:  
 Hæc tamen ærumnas queis grauior, apta loqui est.  
 At loquitur, quàm non puer ora benigna parentis  
 Ambiat, & nostro malit abire sinu.  
 Haud ego sic, sed amans cupidos intendo lacertos,  
 Influxat vt pectus cor puer ille mecum.  
 Ille meæ vitæ modis, hinc mihi discolor ætas  
 Temperat alternis ver, hiememque modis.  
 Si fugit in Zephyro; Zephyrum mihi credo procellam;  
 Sin redit, esto ruas turbo, serenus erit.  
 (a) In violis & lugubris nota pingitur.

### ELEGIA XXIII.

Beata Virgo Puerum vbiuis quæritat;

1. Virgo valles, & montes interrogat.
2. Item umbram suam, eamque exoptat loqui.
3. Conqueritur res omnes habere sonum; solam  
 vero umbram silere.

Nulla

**N** Vlla quies in amante, nouum noua cura laborem  
 Excitat, æqua vouet præmia ferre labor.  
 Ergo Syras peragrat Virgo ceu dama salebras;  
 Quà tecat incertas speique merusque vias.  
 Sed quot aranda cauis vestigia sculpsit arenis,  
 Tot sub corde ferit spinea tela dolor:  
 Heu! quid agat vacuis Virgo circumuaga campis;  
 Hic, vbi nulla pedum signa, nec umbra virum?  
 Consultit hinc valles, iuga consultit hispida dumis:  
 Triste silent valles, & iuga muta stupent.  
 Consultit & cedrum sub quâ prius hospita sedit  
 Cum puero: is cedri dulcior vsus erit.  
 Consultit & fontem, qui plurimus vndat Idumen:  
 Quò de fonte puer se sine fortè bibit,  
 Quod si nulla sitis, quam fons leuet, vrat alumnus:  
 Quà fugit, vnda sibi vult pia ducat iter.  
 Denique fors quidquid tulit obuia, consultit anceps.  
 Nulla sed ærumnis consultit ora suis.  
 Ah miseram! quò flectat iter? quæ sidera spectet,  
 Omnia si fallant omnibus astra locis?  
 Sic vbi stat mœrens, vacuum circumspicit umbram,  
 Decolor albenstem quâ toga fuscet humum:  
 Et rogat hinc (esto mutam non nesciat umbram)  
 Nunc vbi sit pueri visa figura sui.  
 Umbra pari totum si reddit imagine corpus,  
 Os simul (id quora pars?) reddere an ipsa neget?  
 Larua sed atra silet, surdisque inserpit arenis.  
 Mater at hanc mallet quid breue posse loqui,  
 Visa queri tenui quid nescio Virgo susurro.  
 Et quid non videtur iure queratur Amor?  
 Omnia vocales animant elementa querelas,  
 Hei mihi! sed nullis vox sonat apta plagis,  
 Mille refert voces densis vox edita syluis,  
 Quæ reparat mimis murmura trunca sonis.  
 Fons strepit arguto per sicca, per vda susurro.  
 Lubricus irriguis qui fugit exsul agris.  
 Argutat tremulis Dryadam coma sibila syluis  
 Ad Zephyri pennas, Æolidumque tubas.

Denique

ELEGIA XXV.

Amoris orbi amaritudinem  
describit.

1. *Pristinam felicitatem commemorat B. Virgo.*
2. *Queritur, quem complecti se credit, puerum  
semper elabi.*
3. *Ab absente puero grassari in pectore suo flamas explicat, quibus velit immori.*

QVO rapior nunc orba Deo ? nunc orba parente ?  
 Istud an est sanctis ritè litare focus ?  
 Ergo tuli Solymae solemnia vota Tonanti,  
 Hic ut emam castis improba damna sacris ?  
 O ego, quàm felix pulchri modo non inis hares !  
 Quàm mea tranquillis cymba cucurrit aquis !  
 Dum ver suave rudi pueri prætorpuit ævo ;  
 Qualia primævo termitæ poma tulit !  
 Quàm placidi risus ; quàm dulcia vincula cello !  
 Quàm blandis, memini, suavia tincta rosis !  
 Ast imo sublapsa sinu spes auolat, eheu !  
 Auolat, alternis non reditura viis.  
 Sic fugit, ut fugiens oculos non fallat amantis.  
 Specto, vel absentem lynceus ambit amor.  
 Alba diu, nunc atra nouo cadit alea iactu ;  
 Dum procul averso me Dens ore fugit.  
 Fallor ? an ille redux me mollibus implicat vlnis ?  
 Fallimur, implexam fraudat, ut vnda, manum.  
 Si procul ille puer, Matrem cur vulnerat absens ?  
 Sin huc præsto redit, quid verat ergo fruar ?  
 Gnate tuum linquis Matris sub pectore vultum ;  
 Vultus at hic fallax omen amoris habet.  
 Dulcis amor, fateor, sed quid iuuat ? errat ut asinum,  
 Ille dolo ludit, ludit & ille fugâ.  
 Quem quoties avidâ videor constringere dextrâ,  
 Adstrictam toties frustrat, ut aura, manum.



Hic an adest? vincetis cur non obstringo lacertis?  
 Sin, cur specto vigil? somnus an ergo puer?  
 Somnus abest, vigil ignis Amor. spes addidit alas;  
 Ocyus alipedem verito per arua gradum.  
 Nec puer occurrit, gremioue tenetur, & vlnis;  
 Quem teneam, rapidi turbinis instar abie.  
 Insequar? ille fugit, sequiturque fugitque parentem:  
 Prenso manu? vacuam defugit ille manum,  
 Seu puer id, pueriue fuit leuis vmbra, vel error:  
 Quidquid erat, viduo labitur vsque sinu.  
 O crudelis amor (si fas sit dicere,) IESVS,  
 Me cur ludis amans? error id, anne furor?  
 Sed sine labe furor, si non innoxius error:  
 Nox magè cara mei cordis, opinor, erat.  
 An potius de lacte satur, fastidii alumnam?  
 Absit, abest puero noxia: purus amat.  
 Et pia mater amat, quem nescia quærit IESVM,  
 Conspirat geminas mutua flamma faces.  
 Sic absens si torret, vbi dabit ora tueri,  
 Quo mihi cor vret fidere victor amor?  
 Nonne rogo propiore piam flagrabat alumnam,  
 Par vbi iunget amor mutua labra labris?  
 Cor precor in viuam fax vertat vt alma fauillam:  
 Gratius hæc quauis luce fauilla calet.  
 Fas sit amando mori. sin fors sinat altera Gnato  
 Læta frui, fruar ô! detque fruendo mori!

## ELEGIA XXVI.

Sua merita recenset B. Virgo, quæ vt  
 puerum inueniat, quamlibet in  
 formam gestit mutari.

1. Abitum sui pueri Virgo deplorat.
2. Sui amoris nomina enumerat.
3. Ardet in varias figuras, præsertim in Echo-  
neis transformari.

**V**T desedit humi sub frondifera Terebintho  
 Virgo tot ægra vijs, rursus id orsa queri est:  
 Ah puer ille Deus, Deus ille, simillimus astro  
 Qui micat, hos oculos tristis vt umbra, fugit!  
 Nec via nota fugæ est, & nescia meta salutis.  
 Maternamque salus fallit & ipsa fidem.  
 Quæ fugit, heu! rapido mihi me pede subripit absens:  
 Presto sit ipsa sui luminis aura, fat est.  
 Non vola, non pueri pes paret, odor sic nec umbra;  
 Sed procul aduerso tramite fallit iter.  
 Quis credat? teneri fædus dirupit amoris;  
 Et fugitat dulcem, ceu vaga dama, sinum.  
 Augustos superis an sic instaurat honores?  
 Et pia solenni sic calet ara sacro?  
 Si facer ille puer medijs elabatur aris,  
 Et mea furtiuo tum pede vora rapit?  
 Nec rediturus abit, per opaca, per horrida rerum  
 Absistitque meâ, ceu rosa fluxa, manu?  
 Ergone fœda meis hærent contagia recessis?  
 Nulla sed his septis noxa, nec vlla lues.  
 Hic nisi castus amor, tener & pudor obles amoris.  
 Vt puer est, purum quid fugit ergo torum?  
 Quæ, precor, imocua deterreret noxa parentis?  
 Peccaui, fateor; si sit amare scelus.  
 Illa ego sponsa, soror, nutritrix, stirps, mater & hæres,  
 Gnate tibi, quoduis nomen adoptat amor,  
 Et tot amoris adhuc tu nomina temnis in vno!  
 Dignius ecquod ames Virgine matre decus?  
 Fingis, an ex animo fugis? ah! (sed fingere vanum est)  
 Ne tener in durum vade viator iter,  
 Sed tenero pede dura teris, teris ardua rerum;  
 Et tibi pars gaudii est, triste laboris opus.  
 Vnde tot ambages, fuga queis procul vrit amantem?  
 Vtere vis? flammâ da propiore mori.  
 In quascumque lubet propior me verte figuras,  
 Stare iubés? stabit: vis eat? ibit amor.  
 Malo sed attenuet resonas mors corpus in auras,  
 Orba suo Verbo vocis imago querat.

D iij

Si

Si qua percussis hinc aura resultat ab antris;  
 Unica vox IESV, cætera mortis erunt.  
 Sed quid in examines animo mea vota querelas?  
 Cui perijt Verbum, vox mihi viua fore?  
 Unica vox super est, nullâ reparabilis aurâ,  
 Ut querar expirans: *mors mihi sera venis.*  
 Quod si sit nullâ reuocabilis arte puellas,  
 Excideritque imo pristina cura sion:  
 Sculptat Amor saltem saxi, quem querat IESVM,  
 Viuar vt æternus rupe genente dolor.  
 Est aliquid sua qui dare præmia nescit amanti;  
 Si det acerbus amor dulcè dolore fruï.  
 Par in amore dolor socios conspirat in vsus,  
 Mors, & vita paris pondera lancis habet.

## ELEGIA XXVII.

Amor fruendi pueri, & timor per no-  
 cæm amittendi.

1. B. Virgo exoptat sui amore ad se trahi Iesum.
2. Vi e sua præsentia sibi pulchritudine conciliet.
3. Timet interim ne quid secius illi Ierosolyma  
 eueniat.
4. Saltem optat, priusquam ipse vitâ sponte abeat,  
 aliquantisper sui amoris usu frui matrem  
 permittat.

## VOX B. VIRGINIS.

**N**ate Deo, Deus ipse piæ potes ergo parentis  
 Deseruisse manum, deseruisse sinum?  
 Si trahis ipse meo conlors de corpore corpus:  
 Me sine, iure meum pignus an alter habet?  
 Nec dulcis te matris amor, nec acerba doloris  
 Cura mouet profugos huc reuocare gradus?  
 Quis te tanget amor? quis honos? quæ gratia facti,  
 Te si blanda nequit tangere Virgo parens?

Fronde

Fronde bidens, magnete chalybs, fons vberis riuo,  
 Lux radijs, ignis fomite, gramen aquis,  
 Nubibus imber, acus gemmæ Phaëtonidis auro,  
 Floris odore trahi prouida gaudet apis:  
 Matris & ore trahi gestit puer omnis; at vnus  
 Matris amore trahi nescit, vt agna, puer.  
 Qui trahitur, currit; qui currit, is ambit amantem.  
 Hæret, amaret, & amans gaudia summa tenet.  
 Sed duros tener incurris mea damna labores.  
 Suspikor, idque graui conqueror ista metu.  
 Si qua sinu spes alba sedet, timor opprimit atrâ  
 Nube; rubos inter tela cruenta rubent.  
 O vbi non sentis mors excubat horrida syluis!  
 O vbi non longis stat labor asper agris!  
 Sed fors mente sedet duris abfistere cœptis,  
 Et dare, quæ matri dona dedisse decet.  
 Ecce inam, si non matri, tua munera serues:  
 Munera cælesti Virgine digna legi.  
 Sidereos oculis tunc his adflabis honores,  
 Quales non Eos, luna nec vlla tulit.  
 Non sic irradiat sol perspicuæ crystallo:  
 Hoc vt Gnare tui corde refulget amor.  
 Sit satis hoc, dixi; puer vt rata vota parentis  
 Expleat; expleri sors sed iniqua vetat.  
 Nempe iubet Solymos mortis funesta cupido  
 Irruat in saltus, & iuga facta feris.  
 Omnibus hic violis cruor, & cruor omnibus herbis,  
 Omnibus & culmis spica cruore madet.  
 Sanguinæ Solymo timui necis omina saxo;  
 Ne raperent agnum Pardus, & Vrsa meum.  
 Hic Saræ memini gnatus sub acinace supplex,  
 Panem ream puro sanguine tinxit humum.  
 Occidit hic certe, sacra cui calet ara, Sacerdos.  
 Imbuit is sanctos victima sancta focos.  
 Quis scit an hic, timeo, vates lux maxima vatum  
 Ipse pari spargat membra cruenta solo?  
 Si iam non cadat hic sacer agnus & ipse sacerdos;  
 Sors nimis hæc votis insidiosa meis.

Si finis, & quid nisi? paucas nisi deprecor horas,  
 Ne iam sponte feras, quæ mala serò feres;  
 Nec magis ipse piæ discors sis pugna parenti,  
 Sed non pugno: tuum quæ nisi velle velim?  
 Quos par ambo dolor, par iungat & ambo voluptas:  
 Si lex æqua pati est, lex sit & æqua frui.

(a) *Isaac in monte Moria, qui est Ierusalem, ceruicem Abrahae gladio subiicit.*

(b) *Zacharias, Christo teste, occisus inter templum & altare: cuius cruore lapides respersi erubuerunt in hoc scelus. è Tertulliani testimonio.*

### ELEGIA XXVIII.

B. Virgo suum luctum & pia desideria explicat.

1. *Ærumnas viarum & inanes labores explicat.*
2. *Vnicum in omnibus querit filium.*
3. *Quem eo, quo sibi ille effinxit corpus sanguine in utero, etiam velit sibi redimi.*
4. *Interim longiore morâ puer longius à matre abit.*

**Q**uamlibet immensis rapiar circumuaga campis;  
 Nil nisi vanus obit tædiâ dura labor.  
 Prospicio varias longinquo limite terras:  
 Puluereos volui non nisi specto globos,  
 Quæ mihi mille locis occurrit mortis imago,  
 Deuolat in nostrum non abitura sinum.  
 Et dolor incurrit, dum gaudia quæro sub omni  
 Sole: sed, heu! oculis nox sedet atra meis.  
 Pæne gemens surdo meditor conuicia soli,  
 Qui reus auctorem celat, ut umbra, suum,

Et simul inuisæ graue ceu scelus exprobro terræ,  
 Dura quod affectus supprimat illa meos,  
 Quin Boream, Zephyrumq;, Eurumq;, Notumq;, laceffo,  
 Aura quod ab Gnato nuncia nulla venit,  
 Hinc quacumque feror per dura, per herbida; rorat  
 Cos omnis lacrymis, omnis & herba meis,  
 Et quot humus grauidis haurit de nubibus imbres;  
 Protinus in fletus vertit amara suos.  
 Nec mirum, trahit ærumnas ærumna; catenam  
 Dic adamantæam quâ tot in arua trahor.  
 It timor ante pedes: comes obsidet omne latus mors.  
 Corde dolor flagrat; cura stat atra sinu,  
 Vlla putasne parens tantis sit saucia dânnis,  
 Fons eat vt incestis semper amarus aquis?  
 Saxeæ vel tenero mollire in pectora fletu:  
 Blanda nec is Gnato leniat ora dolor?  
 Et Matris dolor, immensi qui vulneris instar,  
 Mille vel hic vuus tela doloris habet.  
 Si gemo propter aquas, vel inanibus aggemo campis;  
 Damna mihi campi, damna loquuntur aquæ.  
 Scilicet æternum dum quæro per omnia Verbum,  
 Non nisi pro Verbo, nomen inane redit.  
 Est aliquid, fateor, dum Vox non influit aures  
 Ipsa meas; si tum vocis imago sonet.  
 Sed quid vana iuuat, me quæ fugit aura per auras?  
 De dape pascere famem, si satur esse velis,  
 Non nisi diuino pascit me nectare Verbum:  
 Cætera ieiunam pabula credo famem.  
 Si fluctus Theris ipsa, polus sua sidera linguis  
 Verterit, & stirpes herbida terra suas:  
 Attamen innumeris linguis vox vna Tonantis,  
 Grator in matris gaudia blanda fluet.  
 Tum mihi nescio quâ subitâ dulcedine pectus  
 Imbueret felix, nectaris instar, amor;  
 O vtinam prædulce bibam de numine nectar!  
 Sic meus in pretium nectaris ipse cruor.  
 Sanguis enim teneros Christi si fluxit in artus  
 Nascenti: & nato quid vetat ille fluat?

Dv

Sanguine

Sanguine Virgo meo si fauci pignus amoris?  
 Soluere, quo pepigi sanguine, posco fidem.  
 Pignore virginei dos carior æqua cruoris?  
 Quis non inde Dei nobile fædus emat?  
 Sed pius ut puer est, non ambit acerba parentis  
 Vulnera, cui mæstus sit graue vulnus amor.  
 Vire, licet, dixit: duo cur moriamur in vnâ?  
 Viuat iò sospes sospite Matre puer!  
 Viuat iò sanguis meus! hoc de sanguine vitæ  
 Prima meæ legi dona, suprema legam.  
 Sic ego fingebam, sed, ut est res credula, quid non  
 Fingit amor, damnis blandior inde meis?  
 At mihi nescio quid ceu triste minatur in omen,  
 Qui cadit vltro repens fluxa per ora liquor.  
 Suspitor è damnis noua crescere damna parenti;  
 Ut, si multa tuli rædia, plura feram.  
 Nonne diu mæstæ fugit ore sinuque parentis,  
 Quique meo cretus sanguine sanguis abit?  
 Nec sedet in gremio, quo se tener abdidit olim;  
 Et pars magna sui quo prius hausta fuit?  
 O sedeat saltem Gnati sub pectore Mater!  
 Parte sui viuet sic meliore Parens.

## ELEGIA XXIX.

Ardet B. Virgo vitæ subsidia erranti  
 puero subministrare.

1. B. Virgo miratur, cur puer, cum sit lux mundi, sibi nusquam appareat:
2. Et vbivis latens, & lucens suam spem eludat.
3. Interius desiderat illi vitæ subsidia suggerere.
4. Exoptat ad puerum instar Abacuc transferri.

B. VIRGINIS  
 ALLOQUIVM.

Cum

**C**um me nec tua vox, nec mutus ignis IESV  
 Adspiret placidis, veris vt aura, modis :  
 Excidit egelidis prius ignea vena medullis,  
 Ac sedet in mutis anxia cura labris.  
 Et gemit arcano quid nescio triste susurro :  
 Quid fugitas dulcem lux mea Gnate sinum?  
 Et procul ignoris matrem sic ludis in oris,  
 Nec datur vlla tuo de pede signa sequi ?  
 Si dux purpureus rutilas qui flectit habenas,  
 Lustrat ouans radijs sol iter omne suis :  
 Et cui lux omni præcarior emicat astro,  
 Parue pari lustra quâ fugis arte, viam.  
 Argueret si clara tuum fors orbita cursum,  
 Omnibus afluere tunc comes æqua locis,  
 Omnibus & syluis sectarer, & omnibus antris,  
 Persequererque sagax omnibus hospes agris.  
 Maxima cura foret, & erit mihi maxima semper  
 Cura, caput blandâ stringere dulce manu,  
 Vt lubet, hos oculos exi, per inania rerum:  
 Quem tot vbiq; plagis spes mea spectet, eris,  
 Certa tuæ documenta fugæ, queis fallor, vbiuis  
 Si taceat tellus, astra loquentur iter.  
 Sidera suspexi: terris sed conscia Verbi  
 Signa negat, puppes que regit Vrsa mari.  
 Cæteraque astra pari coniurant crimine, cœcum  
 Noctis iter surdis inuoluisse dolis.  
 Nauita ver Zephyri, segetis spem spectat arator :  
 Miles ouans armis præmia, pastor oues.  
 Rex noua sceptrâ, leues damas venator & hinnos:  
 Institor Indus opes; pictor Apellis opus.  
 Tale nihil specto. solum spes omnis IESVM  
 Ambit; in hoc vno præmia cuncta sequor.  
 Sed quid ego vener, quæ sum data præda timori,  
 Et ceu cerua, vagas anxia lustrâ vias.  
 Mi dilecte puer, quò quò sine matre deerras,  
 Mille lapos inter soliuagasque tigres ?  
 Quid fugis hoc pectus, cui fluxitat vbere nectar ?  
 O nimium votis fors inimica meis!



Lactea si bibulis transfudi pocula libellis;  
 Cur non iam puero pabula reddo meo?  
 Idque ubi desertis palatur egenus in oris,  
 Villa nec addicunt hospita recta penu.  
 Vbera crediderim gravidis salientia venis,  
 Ipsa velit Gnato promere cerua meo.  
 Quin ut ei dulces tygris exprimat obuia succos:  
 Ceu foret e seua tigride mris ouis.  
 Attamen haud durae quae cura sit aequa parenti,  
 Mentē sedet plenā munera ferre manu.  
 Ne qua fames, vel iniusta sitis iecur vrat anhelum;  
 De dape quæro famem pascere, fonte sitim.  
 Strat manus ad calathum, gelidum bibit hydria fontem:  
 Sed quò fontis aquas misero, siue dapes?  
 O mihi cor geminis vigor induat entheus alis!  
 Me leue quò pondus subuehat ales Amor.  
 Nescit enim graue pondus Amor, qui sideris instat,  
 Ignis abit, voluceri quā rapit aura fugā.  
 Isacium vatem si penniger extulit hospes,  
 Inque Semiramā, quò vehit, vrbe stitit;  
 Ut nec opina ferat captiuo prandia vati,  
 Qui vacuo siccam mandit in ore famem:  
 Quid prohibet Matrem par enehat ardor in auras?  
 Pulchrior est quouis flos Daniele puer.  
 Non mihi deest tereti crinis qui fulgeat auro,  
 Quolibet ut fuluo pendula crine ferat.  
 O peream! si non huc me celer abripit error.  
 Sed quid? ubi Babylon? quā puer vrbe sedet?  
 Me later (heu! oculos densis nox induit umbris)  
 Quam sua lux medio nubila sole fugit.  
 Qui prius ah! (ut iniqua meos sors mutat honores!)  
 Lynceus Argus, Amor lumine cassus abit.

(a) Angelus Abacuc Prophetam repente e Iudaea  
 Babylonem vno apprehensum capillo transtulit; ut  
 prandium quod suis messoribus deferebat, Danieli in  
 lacu leonum nihil tale expectanti subministraret.

## LIBER SECVNDVS,

S I V E

## SECVNDVS DIES.

## ELEGIA PRIMA.

B. Virgo è pulchrâ Aurorâ, & Iride  
prosperum sibi ominatur diem :  
sed frustra.

**A**ltera lux oritur, roseo cui floreat astro  
Lucifer, Eois præuia stella rotis.  
Et se purpureis Aurora venusta coronis  
Comit, & auratis flauet amœna comis.  
Aureolâ & sol pingit acu, radioque figuram  
Ipse suam, & pictis Irin adumbrat aquis.  
Luciferi, Auroræque comantis, & aurea solis  
Ut vidi nitido lumina stare polo ;  
Clara meum, dixi, promittunt signa puellum ;  
Promisso puero non tamen orta dies.  
Phœbe quid adrides ? hilari mentiris Eoo :  
Nec dedit Auroræ pronuba stella fidem.  
Et solem vanis breuis Iris vt exprimit vmbis ;  
Omina iam pacis sic mihi vana parit,  
Altera cur igitur puro lux nascere partu ;  
Si mihi nil Solem reddis iniqua meum ?  
Hæcine lux, & non magis vmbra simillima nocti est ;  
Ceui mediâ certè nocte sepulta queror,  
Sol, & luna pares cœlo qui ducitis horas,  
Alternumque nouo pascitis igne iubar ;

Inuides

Inuideo vobis, quem nescia venor, IESVM  
 Me sine spectatis nocte, dieque meum.  
 Heu ego quid merui? totis quem cernitis annis,  
 Cur mihi cernendum nulla dat hora Deum?  
 Totus Amor Deus ipse, sui sic parcus amoris  
 Cur abit, vt lacrymis fons mihi largus eat?

## ELEGIA II.

1. *B. Virgo è cedri, sub quâ sedet, folijs exoptat,  
 vt sibi umbratile horologium Amor concinnet; vt inde  
 reditum filij deprehendat, designetque horam.*

2. *Fontem, cui adsidet, monet vt suum cursum  
 ad Christum qui sit caput fontium, reflectat; vel vt  
 eius sitim restinguat.*

**H**eu! feror incertis huc, illuc nescia campis:  
 Quod sequar, at nullum fert mihi campus iter,  
 Multa quidem varijs reperi vestigia fulcis:  
 At nusquam Domini signa reporto mei,  
 O vtinam norit (sed quid non nouit & absens?)  
 Quibus, ah! Virgo lucter anhela malis!  
 Quod super, ipsa vijs, heu! fracta tot ærumnolis,  
 Hac ego sub cedro debile sterno larus.  
 Vnde suis vmbrijs lætas cedrus indicet horas,  
 His struat è folijs horologion Amor,  
 Qui doceant horas, solem si quæris & vmbra è  
 Hic erit irradians sol Puer, vmbra Parens,  
 Tum radijs Puer inde, Parens hinc arguet vmbrijs,  
 Quæ dabit hora mei solis amore frui,  
 Si tamen hic absistat honos, & gloria cedro:  
 Indice pro cedro dux mihi riuus eat.  
 Fors his fons vitreo fugiens pede quærat IESVM;  
 Improba cui siccis cor sitis vrat agris,  
 Cui potè nobilior gelidæ sit gratia lymphæ;  
 Pocula quàm tenero fundere grata Deo!  
 Riuus vt hic bibulis furtim serpebat in herbis,  
 Tum dixi, vt sedi pybere fessæ toro:

Riuus,

Riuule, quo properas longinquis auis oris ;  
 Natalesque fugis lymphidus exsul aquas ?  
 Curre, nec inuideo : profugos decet ire liquores,  
 Sed mihi curre ; tuo fonte recurrat Amor.  
 In capu. ! vitreas fuga versa reflectat habenas,  
 Insuetaque redux curre, recurre vias.  
 Riuule, quare tuum quem quæro miserima fontem ?  
 Sic dominum certo calle sequere tuum.  
 Vt video, varios sequerisque, fugisque per orbes,  
 Quâ trahis errantes crispa per arua vias.  
 Curuus an ad fontem reuolubile pondus aquarum  
 Flectis ? adi puerum ( fons tuus ille ) meum.  
 Illius ante pedes liquidas tum siste quadrigas,  
 Et comes adistam supplice nixa genu.  
 Tum tenero Domino famulas pius adflue lymphas,  
 Forsitan exstinguet pronida lympa sitim.  
 Si tener ille sitit sitiente viator arenâ  
 ( Vt metuo ) siccum dilue Nympha metum.  
 Quod si parca breuem tibi copia fraudet aquæ spem ;  
 Sufficiam largo lactea pocla sinu.  
 Alma mihi plenas nam gratia suggerit urnas ;  
 Vber vt hinc æquis effluat vnda modis,  
 Ancillæ Phariæ siccis fons fluxit arenis, (a)  
 Nec rerum Domino vena maligna fluet ?  
 Virga petrâ liquidôs prius extudit arida fontes, (b)  
 Hacidumque almo depulit amne sitim.  
 Nonne & vbi siccis torret vapor ossa medullis, (c)  
 Viator & ex asini dentibus hausit aquas ?  
 Quin & adulter aquæ fontem quem damnat amaror, (d)  
 Nonne suis vates imbuit inde fauis ?  
 Nec mihi fons vllus, nullas mihi riuus, & amnis  
 Pocula qui Domino spondeat æqua suo ?  
 Quod si nulla sitis quam fons leuet, angat alumnum,  
 Quâ fugit, ad Gnatum fons mihi ducat iter,  
 Donec aquis pia Nympha pedes prælambat IESV :  
 Ille mihi fontis dulcior vsus erit.  
 Quin etiam qui monstrat iter liquor indice riuo,  
 Quâ premor, exstinguet nil vbi poto, sitim, (a) Agari

ppat,  
 et ma  
 rsem  
 vel ut  
 i  
 er,  
 a  
 a  
 rule,

(a) Agari & Ismaeli, ubi in deserto siti astuans,  
Angelus fontem indicat.

(b) Moses bis suâ virgâ petram percutiens, fon-  
tem inde elicit.

(c) Samson casis Philisthæis è maxillâ asini im-  
petrat à Deo aquas.

(d) Elizeus fontem amarum in Iericho sale ma-  
fuso dulcem reddidit.

### ELEGIA III.

Felicitatem eius loci, in quo Christus  
versatur, B. Virgo celebrat.

1. Optat illi, cui insistit, rupi sua vota insculpere.
2. Felicia ea in quibus Christus degit loca præ-  
dicat.
3. Arbor illa sub quâ desidet Deus, pulcherrima  
& uberrima evadit.

**V**T stetit aëriâ speculâ super ardua montis  
Digna parens Verbo; tunc itâ visa loqui est:  
Quis dabit hâc sculpam petrâ, quas dicto, querelas?  
Queis sit spina stylus, facta sed ipsa chalybs.  
Tunc ego stans docili modo quod pede subtero saxo,  
Imprimerem luctûs conscia signa mei.  
Suppleretque cavas denso dolor imbreguras:  
Imperat hic lacrymas quò iuber ire loqui.  
Scire lubet, quid arare velim? lege quæso viator.  
*Mi IESU ad MARIAM tu mea vitâ redi.*  
Nullus at ille redit: varias decurrit in oras;  
Nec tamen vlla mihi quem tener ora, refert.  
Inideo vobis felices gaudia campi,  
Quæ mea sunt, superum gaudia digna domo.

Vos tener ipse Deus placidis adridet ocellis :  
 Verque adflat radijs ille perenne suis.  
 Hic gelido de fonte bibit ; gelidaue sub vlmō  
 Sessitat ; æstiuos sol vbi torret agros.  
 Hic violam carpit, quā non formosior vllā  
 Tacta manu ; vincet pulchrior inde rosam.  
 O tu fausta Ceres, ô mons, ô ripa, vel herba ;  
 Quā Deus incedit, qualia donz refers !  
 Sin puer hic subeat florum cui copia, pomum ;  
 Induet in fructus florea dona suos.  
 Nec te præteream quercus, cedre, palma, cupressus ;  
 Hospita cui fessum protegit vmbra Deum.  
 Iam quot alis frondes, tot ales pulcherrima flores ;  
 Nec mora, floris honos fructus opimus erit.  
 Sin densis prætexat iter Dryas obuia ramis ;  
 Gaudia depictis sparget odora comis,  
 Fortunata Dryas, pulchro quam Numinis vsu  
 Nobilitat, dono cœlite dignus honos !  
 Næ tu nupteriam felix & nobilis arbor,  
 Siqua paris Gnato punica poma meo !  
 Fraxinus in syluis ; lætis in collibus vlmus ;  
 Adsita myrtus aquis ; pinus amica iugis ;  
 In Libano cedrus ; Sionis in arce cupressus ;  
 Palma Syro gaudens, & terebintl, us agro ;  
 In violis laurus ; frondosâ vitis in vlmō ;  
 Quæque vitet vitidi pomus amica pyro ;  
 Pulchra quidem, quavis tamen arbore pulchrior arbor  
 Illa nitet, sub quâ sederit ipse Deus :  
 Et quam lassus amat, gelidatne recumbit in vmbra,  
 Sidereum pueri duet ab ore decus,  
 Ante diu sterilis rarâ licet arbutus vmbra ;  
 Ab IESV radijs aurea poma feret.  
 Omnis ab hoc vno rerum se copia vultu  
 Fundit, & has nemo carpere gessit opes ?  
 O ! vt ego plenis stiparem poma canistris,  
 Diuite lecta solo, quod pede Christe premis !  
 Sed quid ego calatho legerem tot poma ? vel vno  
 In pueri poma cætera poma legam.

ELEGIA

## ELEGIA IV.

Varius in orbem B. Virginis  
recursus.

1. B. Virgo queritur, necdum tertio iam demum  
die apparere puerum.
2. Cupit adhuc indagare.
3. Hæret anceps, ubinam querat.
4. Sperat tamen ad se, uti ad punctum, vario è  
viarum amfractu rediturum puerum.

## VOX B. VIRGINIS.

**I** Am bis luna redit funesti conscia casus,  
 Quæ vetat ire nouis astra serena rotis.  
 Nec ter adhuc lux orra meum promittit IESVM;  
 Nox ubi sub tristi terra sole sedet.  
 Quique suos reddit rediuius Eous honores,  
 Quod sequor Eoo non redit igne iubar.  
 Tunc ego: quam felix, si sol sis fidus amanti.  
 Fides ero, dixisti; nec tamen vlla fides.  
 Tempus & aura vagis-ut enim celer auolat alis;  
 Sic abit & rapidum temporis auctor iter.  
 Quà fugit, insuetusque viæ, duriq; laboris,  
 Effugit auersus Virginis ille domo;  
 Ibo celer, celeremq; sagax venabor alumnum;  
 Mitto canem; cæcus sed canis errat amor.  
 Eure, precor, resonis MARIÆ suspiria pennis  
 Defer cò, IESVM nox ubi muta premit.  
 Et puero narra, lacrymis quas scribo querelas;  
 Si tamen has nescit, qui regit astra puer.  
 Sed redit orbis amor, redit orbis & Eurus alumno;  
 Hic IESV reditum nescit, & ille fugam.  
 Ibo tamen, quò ducit amor, simul error IESV  
 Non errans; hic spem dicat, & ille fidem.

Dicamus

Dicamus bona verba : pij puer omnis augur  
 Sic iubet , ille redux prospera vota facit.  
 Det Deus, vt norim, quo sistat limite currum  
 Quæ ue terenda nouis ritè sit ora rotis.  
 Sed nimium faciles spes credula commodat aures,  
 Dum mihi sponder opem, durius vrget opus.  
 Nil actum tot in ærumnis, orisq; laborum,  
 Nil desiderijs, luctificisque vijs?  
 Quamlibet inuitem; puer in pia colla parentis  
 Nullus adest: mors est non licuisse morti.  
 I nunc, & tandem Mater moriare puelli,  
 Saucia de damno: sed mihi viuè, iubes.  
 Viue diu; sero Gnato matura doloti;  
 Viue diu; disces quod patiè, pari.  
 Præterea duro iam nunc aduesce laboti:  
 Virgo licet: vincent Virginis arma necem.  
 Hoc equidem sensi, nec me sententiã mutat;  
 Sentit & hoc mecum quisquis amando perit.  
 Interea sed quid statura cura, grauisque laborum  
 Orbis in abruptis itque reditque vijs?  
 Quid sequar? incertis mens scinditur anxia votis,  
 Haud minus ac quadris compita scissa vijs.  
 Sicubi sisto; nigris dolor aduolat obuius alis.  
 Sin vagor, absentem me procul icit amor.  
 Hoc puer, ille puer, quo non sit suauior alter,  
 Sustinet? hanc Matri sponder an ergo fidem?  
 Si fas dulcè queri, de te querar omnia I E S V;  
 Omnia cum I E S V dum mihi parue rapis.  
 Alma precor pietas iustis sed parce querelis,  
 Si quid pecco, pij noxa doloris erat.  
 Crimen an ausa parens? scelus est peperisse salutem  
 Sed nil ausa parens; nec scelus ausa parens.  
 Nil nocet, an nocuisse queat pia Mater amoris?  
 Quid? cadat in castum culpa, dolusque finum?  
 Quidquid id est, pueri sine crimine, siue parentis  
 Si puer errat amans, error amoris erit.  
 Ceu rota, mille nouo sed vt orbe reuoluerit orbis,  
 Puncto fixa breui mobile sistit iter:

E ij

Sic &c



Sic & amor vario fat vt egerit agmine cursus ;  
 Huc quò meta vocat ; credo, reflectet equos.  
 Nunc licet immenso trahat ampla volumina gyro ;  
 Sancte Puer punctum cor tibi matris erit.  
 Omnis tò tendit concors via, siue viarum  
 Linca, quo puncto meta ster alta quies,

## ELEGIA V.

B. Virgo solitudinem suam, dolorem-  
 que, & Verbi æterni vbiuis silen-  
 tium explicat.

1. *Se solam à Filio relinqui ingemiscit.*
2. *Vbiq̄ue I E S V M suauiter inclamat ; nec ta-  
 men vox inde vlla resultat.*
3. *Omni affectu aduocat Filium.*

**F**elix illa domus, cui pusio ludit in aulâ ?  
 Felices sobolis, spes vbi salua, natus !  
 Ast ego non felix ; cui si non plurimus hæres,  
 Vnus in vnigenâ floret & omnis honos,  
 Flos tamen eximius quouis præ flore, parentem,  
 Qui sit lux reliquis, tristis vt umbra later.  
 Hæccine virginei sint vltima præmia partûs ?  
 Hæccine sub dextrâ cælite pacta fides ?  
 Hæccine Iosepho merces iucunda laborum,  
 Vsq̄ue redux duro currat vt orbe labor ?  
 Idquæ vbi iam lætis pax aurea floret in herbis ;  
 Et via festiuus personat ic̄ta choris ?  
 Vidi ego tum quouis ridere rosaria prato,  
 Et dare texendas in sacra ferta rotas.  
 Inde meo sed mille sinu nisi sidere spinas  
 Ingemui : spinis saucia corda flagrant.  
 Hinc dolor, vlcus edax, quouis petit orbe medelam ?  
Vas medela puer, qui mihi vulnus alit,

Imploro

Imploro sylvas ; imploro nescia rupes ;  
 Imploro grauidum, quo salit vnda, specum.  
 Et IESV syluis, & rupibus aggemo IESV :  
 Musa sed ad surdas stant elementa preces.  
 Vna tamen saxi vox edita reddit IESVM :  
 Triste pari lagens voce recudit opus.  
 Illa sed in tennes exspirat languida questus ;  
 Et iam semianimi murmure rauca filet.  
 Ergo loqui, dum cuncta silent, puer incipe, Patris  
 Nobile tu Verbum ; debita verba neges ?  
 Vt quid adhuc, vbi iusta pijs stat gratia votis,  
 Abripit incassas aura, vel vnda preces ?  
 Sola quid ægra meo gemitu comes aggemit Echo ?  
 Non nisi vis lacrymis digna sit aura meis ?  
 Malo bibas tristi quos depluo lumine, rores :  
 Si non has oculis, at bibe corde preces.  
 Quid prohibet, profugo lacrymas vbi fundo puello,  
 Affundat socias ipte puellus aquas ?  
 Tu meus ille dolor, sis & medicina dolori.  
 Omnibus ille salus, noxa parentis eris ?  
 Qui mihi dat vulnus, medicus sit vulneris idem.  
 Dulce quid est medicâ vulnera ferre manu.  
 Dulce quidem fateor : nouus at dolor vrit acerbis  
 Cor stimulis ; necdum spes vbi certa redit.  
 Tot pueros inter medio stans agmine, dixi :  
 Ah ! meus, & solus cur mihi Gnatus abit ?  
 Vna tamen peccat, vox consonat altera vero.  
 Solus abis ; sed iam non meus ille puer.  
 Quid vetat esse meum ? merui quid tale, vel ausim ?  
 Nil merui ; nedum tale quid ausa parens.  
 Viderit hoc, vt complet iter nunc omne, viator  
 Nescio quis, dicet: Mater es ausa nefas.  
 Exime, vana licet, nigrae conuicia famæ ;  
 Candida quam puri fama pudoris habet ;



## ELEGIA VI.

Accumbit ad fontem, instar ceruæ,  
quæ suum quærat hinnulum; &  
inde doloris vulnus.

1. Queritur B. Virgo Puerum maternis caritatis  
vinculis non posse detineri.
2. Curas intendit, ut reperiat.
3. Se ceruæ suum hinnulum quærenti comparat.
4. Fessa ad fontem desidet.

Visceribus sata vincla meis in fœdera duxi,  
Vincta quibus concors corda teneret amor,  
Iamque diu tenuit: fuit his tenuisse voluptas.  
Nunc ea, quæ strinxi vincula, rupta queror.  
Mollis enim, fateor, mihi vena, tenerque sub illa  
Sanguis erat; Gnato quò pia vincla fluant,  
Fortior hic adamantæ à sed compede nexus;  
Ut puero molli stringeret arte pedes.  
Non tamen adstrinxit, qui cetera stringit, alumnum:  
Idque ubi dextra breuem stringeret ista manum,  
Nec potes auersum pia flectere Virgo puellum,  
Quò minus incertas deterat vsque vias?  
Nec valet adstringi blandis mea vita lacertis,  
Et dare materno gaudia digna sinu?  
Ut quid adhuc dubijs palatur, ut ales, in oris,  
Et secat immensis secta tor arua vijs?  
Pristinus an gelidas euauit ardor in auras,  
Quæque tulit Matri donatuisse piget?  
Sic an inaccessis lateas obscura sub antris,  
O facies, oculos vrere nata meos?  
Nata meos oculos, sed dulcius vrere flammis;  
Et solis radijs par quibus ardor eat.  
sic gemit, & tenues volucris pede signat arenas;  
Hac illac dubias flectere iussa vias.

Littera

Littera si qua venit diri fors nuntia casus;  
 Hanc lacrymis delet mater amara suis.  
 Littera nulla venit, memor aura nec vlla puelli :  
 Omnia sed surdus muta per arua dolor.  
 Explorat tacitos cupidâ vigil aure susurros :  
 Nuntia vox Verbi nulla superstes ijt.  
 Equid agat ? ne nil ageretur, anhela virenti  
 Sidit humo, prono margine propter aquas.  
 Scilicet egelidas inuitat fontis ad vndas,  
 Quæ viret vva iugis, quæ viret vmbra vadis.  
 Qualis vbi profugum procul omnibus anxia campis  
 Desinit hinnuleum quærare cerua suum.  
 Iamque gradum defessa sub vmbri ferâ cupressu,  
 Sistit anhela fugâ, sistit anhela siti :  
 Et lacrymans tenerum suspirat, & ardet alumnum,  
 Vbere quem dulci pauerat alma parens,  
 Immemor vt fontis, notæ sic immemor herbæ ;  
 Immemor & vitæ lugubre cerua iacet ;  
 Talis item virgo ; tali sed perdita luctu,  
 Non iacet : ast ægro saucia corde sedet,  
 Et sedet in gelidi florente crepidine fontis,  
 Nec tamen haurit aquas ; nec leuat vnda sitim.  
 Iamque oblita sui, meminit solius I E S V.  
 Tota fuit mœstis, quas bibit amnis, aquis.  
 Fons sed vt arguto crepitat, loquiturque susurro :  
 Flens itidem tenui murmure Virgo gemit.  
 Fors poterit lenire sitim, non pectoris æstum.  
 Influe fons ; vincet fax mea fontis aquas.  
 Tantalus hic gelidas me me sitis vrit ad vndas :  
 Fons fluat hinc alius, qui leuet ergo sitim.  
 Si Nâis gelidâ pueri non temperat ignes ;  
 At saltem tenuis ros mihi stillet opem !  
 Si mihi fons læto non influat agmine pectus ;  
 Fonte minor parcam leniat vna sitim.  
 Parca sed vna sitim non lenit, & imbuit ignes :  
 Siccus at ipse mihi fons, vt arena siccit.

E iij

ELEGIA

## ELEGIA VII.

B. Virgo gemit puerum maternis  
ærumnis non posse reuocari.

1. B. Virginis ex absentia pueri maror.
2. Interrogat quid causæ sit, cur domo emanat.
3. Queritur sibi Filium non reddi; uti antiquis Patriarcharum matribus.
4. Adferit eo, quo fuerit Isaac immolandus gladio, sibi pectus effodi præ dolore.

**G** Natus abest, aberitque diu; bis abortus Eous  
 Testis, & alternas luna remensa vias,  
 Heu! fuga spem vitæ, sed mors rapit inuida vitam;  
 Hinc nequit ægra parens viuere, siue mori.  
 Ergo celer varijs Gnatum vestigat in oris,  
 Si dat fræna timor; fert pede calcar amor.  
 Hinc dubium cor mille secat mens nescia curis;  
 Seu quæ ferre gradum, siue referre velit.  
 Dæin gemit; & genitrix, quam cura remordet amoris,  
 His lacrymis dulces exprimit icta preces.  
 Quid? necdum te matris honos, aut gratia tangit?  
 Nec pax virginæ quæ sedet alta sinu?  
 Nec memoy hinc, vt sæpè, redit nunc matris imago?  
 Vt fugis ipse, mei sic quoque cura fugit.  
 Tene ego sancte Puer, deserto in littore liqui?  
 Te nec ego pondus sedula dulce tuli?  
 An tibi non placidis adrisi semper ocellis?  
 Dic, vbi non pressi mollibus ora genis?  
 O quoties facili (quod & ipse fatebere) dextrâ  
 Expressi bibulis vbera catta labris!  
 Sed quid? abest, & abesse iubet sors inuida IESVM:  
 Aura nec vlla refert, fama nec vlla canit.  
 Sara suum Solymo de monte recepit Isaacum,  
 Qui iacuit crudæ victima panæ neci,

Grandæuo

Heu! quid agam? volueri spargam pede deuia curas?  
 An potius curis steter manus apta meis?  
 Quidquid erit; pingam, via quem rapit inuia, IESVM:  
 En lacrymæ; his pingam: pingere iussit amor.  
 His sed aquis ignis comes adfluit acrior Ætæ,  
 Ignea, prô! oculos vret imago meos.  
 Parrhasius malim stylus vt mihi reddat amantem,  
 Qui bibit è conchâ verficolor decus.  
 Ars potius solis radio sed pingat, & auro:  
 Nobilius radius ducat vt artis opus.  
 Ac picturato quisquis flos rorat ab imbre,  
 Discolor è succis imbibat hinc decus.  
 Quasque preces moriens roseis exspiro labellis,  
 Exprimat has pictæ purpura docta rosæ,  
 Purpureis folijs alter tunc appluat humor,  
 Tristis & inde color, deque colore dolor.  
 Lilia nec desunt, casti quæ conscia partus  
 Caudorem lacrymis sæpè bibere meis.  
 Nec vos ô violæ tacitas vernare per herbas  
 Mœsta sinam; mœsto discite flore queri.  
 Nec te puniceâ mi pulcher amelle coronâ  
 Flere sub imbre velim; ni mea damna gemas.  
 Denique, quisquis hinc vario flos pulcher ocello,  
 Da lacrymis pictas, Iridis instar, aquas.  
 Sic rudis ante, nouum cui flos decus addit, imago  
 Pulchra, mihi pulchri fructus amoris erit.  
 Tum demum facili stillabo liquore figuras,  
 Quas bibat agnatis vda tabella notis.  
 Quid moror? en, docili stylus illinit imbre colorem;  
 Pulchra verecundis floret imago genis.  
 Hei mihi! sed digitum pungit, dum pingit IESVM;  
 Improba quæ blando flore latebat apis.  
 Istud erat, votis quod amor pius omnibus ambit,  
 Abs ape vulnus amo: vulnera melle fluunt.  
 Flos hic, apisque mihi Gnati florentis imago est;  
 Hinc vbi floris odor me trahit; icit apis.  
 Vrit enim stimulis me nunc amor, ante voluptas;  
 Natus amore dolor, mellis ac instar erit.

(a) Hirundo

(a) *Hirundo chelidoniâ suos pullos oculat: ut loquitur Tertull.*

(b) *Ciconia, quia parentes suo fessas alit, dicitur à Petronio pietatis cultrix.*

### ELEGIA IX.

B. Virgo in querendo Puerum suum studium describit: monet; variarum rerum exemplo, ad Matrem ut redeat.

**O** nimis indignam Puerum procul exule sortem!  
 Qui mihi prima dedit gaudia, prima rapit.  
 Iamque fugit, fugientisque pios abrumpit amores,  
 Vinculaque alternâ nexa, renexa manu.  
 Ergo suos extinguet amor, quos educat, ignes?  
 Et gelidas flammis, quas parit, addit aquas?  
 Acrius erepto sed enim dolor ardet alumno:  
 Quâ licet errantem per sua regna sequar.  
 Quò via cumque vocat, rapidas huc flecto quadrigas,  
 Quaque trahunt fluctus, hac mihi remus abit.  
 Non petra septa rubis, non mons, non sylva: nec amaris  
 Præpedient auidos in rata vota gradus.  
 Sed quid ego tristis sequor omnibus exsul in oris,  
 Nescia tam longas Virgo secare vias?  
 Ad viduam potius, mi Gnatè, recurre parentem;  
 Est sinus, & dulci gratia multa sinu.  
 Adnocat in riuos errantem rusticus vndam,  
 Et sequitur sulcos mobilis vnda suos.  
 Errabunda breuem iubet ire flagella sub vltimum  
 Vinitor, & laxum falce coercet iter.  
 In varias dociles ramos quisnam erudit artes?  
 Quâ velit, ire iubet; quaque iubentur, eundem.

In sua tecta rudes vocat alma columba columbas :

Ipsa parens agnos colligit agna suos.  
 Inuitatque domum teneros lea torua leones:  
 Nouit & assuetum quæ redit vrsa, specum:  
 At meus incertis, imbellis vt hinnulus, aruis  
 Qui fugit, ah! Matris nescit adire sinum.

## ELEGIA X.

B. Virgo Puerum vestigans, eum  
 vbique implorat.

1. B. Virgo nescit vbi Puerum suum quarat.
2. Vbicumque fuerit, credit seras mitescere.
3. IESVM sapius ingeminat.

I Am bis vbi roseo ceu flore decorus & auro,  
 Discolor ignipedes vrsit Eous equos;  
 Nulla meis vsquam spes emicat obuia votis;  
 Seu nox furua redit; candida sine dies.  
 Quæ sequar errantem rerum per cæca Puellum,  
 Cui mare, cui tellus, cui dat & æthra viam.  
 Fors Ptolomæis reperit cunabula regnis,  
 Nilotifue suas Nymphæ propinat aquas.  
 O felix tellus, quæ te mea gaudia celat,  
 Seu tibi sylua viret, seu petra dura riger!  
 Te quacumque nouas labor asper & error in oris  
 Per iuga, per valles, per loca plana trahit;  
 Ipsa fere, credo, cicut accubat agna leonæ;  
 Adfider accipitri tuta columba comes:  
 Et sine lite canis damæ blanditur & hinno.  
 Adstat & innocuo salua capella lupo.  
 Quin etiam ponunt iam sibila colla dracones;  
 Parsque prius sæui magna draconis abest.  
 Hi Pueri mores, blandique ea gratia vultus;  
 Flectat vt immanes in sua vota ferat,

Et quam



Et quamuis sit totus amor, meus ardor IESVS;  
 Me tamen hinc nullus fructus amoris habet.  
 Sol, reor, ut lacrymas tot viderit ire parenti,  
 Flens radios mœstas vertet in imbris aquas.  
 Quique hilaris grauida spondebat ab arbore pomum,  
 Flos cadit, ah! flori turbo fit iste dolor.  
 Sed quid dissimulem? flos ut fugit vberis ramo;  
 Sic perit & vitæ vita decusque mea.  
 Dimidio certe mater perit orba; relictum  
 Dimidium cogit spes moribunda mori.  
 At ne tota cadam, quo te mea gaudia spectem,  
 Pauca dabit parvæ copia facta moræ.  
 Sic Virgo gemit umbrosis lacrymosa sub ornis;  
 Ingemnatque redux mille querela preces.  
 Mi IESV! sonat, heu! mi IESV! dulcis IESV!  
 Mi IESV! vacuo sic fugis ergo sinu?  
 Mi IESV! geminat, periit formosus IESVS.  
 Ingemnatque pares æmula sylva modos.  
 Mi IESV! IESV! responsant omnia IESV.  
 Omnia sed IESVM, quem sonuere, negant.  
 Largior an quisquam vel parcior error? vbiuis  
 Quem dant, cripiunt perfida saxa Deum.

## ELEGIA XI.

**B. Virgo suauiter expoſtulat cum ſuo  
 Puero, cur ſibi tot ærumnas pariat.**

1. *B. Virgo queritur ſe dolore vri.*
2. *Dolet ſuas preces non exaudiri.*
3. *Gellit Puerum quacumque ſequi.*
4. *In ſuum gremium reuocat.*

**B** Lande Puer, ſæuis qui miſces gaudia curis;  
 Quò rapis incertos cæca per arua pedes?  
 Qualibus ah flammis vris, mea vita, parentem!  
 Qualibus ah fugiens lymina mergis aquis!

Tun' potis innocuum sic pectus inurere spinis?  
 Totque vibras absens hoc fera tela sinu?  
 Quos seris hoc, flos ille tener, sub pectore sentes,  
 Accendunt tacitas vsta per ossa faces.  
 Anne feros armas stimulos in damna parentis,  
 Spina velut blandas asperat vnca rosas?  
 Sic, memini, cæcis apis & furit aspera telis;  
 Quæ dum mella dedit, spicula dura vibrat.  
 Semper enim concors dolor hinc coit, inde voluptas;  
 Et socias mutant illa, vel ille vices.  
 Illud erat, toties teneris quod blandus ocellis,  
 Spondebas gremio, mitis vt agna, meo?  
 Sic fugis, amisso duce, flebile suspirantem?  
 Mæsta quot inde tulit, te sine, Virgo meus!  
 Sic trahit hinc gemitus, suspiriaque interrupta.  
 Ah miseram! quantis oppetit ista malis!  
 O quoties, quibus accumbit, magè pallet oliuis!  
 Mobiliorque cedris, quas præit ipsa, tremit!  
 Ni properas; perit ægra parens: ne falle gementem,  
 Vt quid amans fallas? mater, & ægra rogat,  
 Sed rogat incassum, surdas lapis obstruit aures:  
 Sibilaque errantes diripit aura preces,  
 Ah! fugis ah! ludisque oculos, furtimque recursans  
 Saxa per, & montes, præpes ad astra redis?  
 Sidereo si scepra choro regis aurea Diuum,  
 Si liceat, pernix hæc tua regna sequar.  
 Me Zephyrus volueri super euehet æthera curru:  
 Sin desint Zephyri; me vehet ales Amor,  
 Immensum tenui pennâ qui sustinet orbem,  
 Ferre neget cælo tam leue maris onus?  
 Fortè puer terras alter nus aberrat, & æthram:  
 Æthra Deo solium, terra dat ima torum.  
 Siue sedet terris, superum seu surgat in orbem;  
 Dat sinus hic solium, dat sinus ille torum.  
 Munus vtramque suæ si luna nouena parenti  
 Indulset, grauido dum tumuit gremio:  
 Quid vetat, vt solis lux altera reddat IESVM,  
 Rursus vt hoc gremio stet torus, & solium?

Delicias

80

Delicias totus iste feret, ludosque puella:  
At solium sceptris premia digna vouet.  
Sed quid inanis honos sceptrum sibi fingit & aurum?  
Hei mihi! pro sceptris quid nisi tela tero?  
Pectoris ille mei tu cor, & vita parentis,  
Ah! potis es matris vulnera tanta pati?  
Ni potius Puer ipse feras mea spicula matris;  
Pectore materno cor ubi cordis agis.

ELEGIA XII.

B. Virgo sub palmâ desidens varios  
palma matura elicit affectus.

1. Meridie sub aestuoso sole B. Virgo palmam  
adsidet.
2. Laudat felicem arborem à perennitate frondium,  
& ubertate fructuum; qua sibi fors  
non euenit.
3. Cum palma gloria apta sit coronis & triumphis,  
cur non & suo in Christum amori &  
perenni labori fert etiam primum?
4. Interim hæret in dolore.

**D**VM fluit alternos oculus lacrymosus in imbres;  
Et tepidas fonti fons nouus addit aquas.  
Idque ubi rauca gemit torante cicada frutero;  
Quæ moneat fessos vasta per arua queri:  
Iuspicit, umbrosamque parens subit anxia palmam;  
Hæc dulces grauidâ fronde recludit opes.  
Tum Virgo roseum lacrymis suffusa labellum,  
Munus ut è palmæ termitæ carpsit, ait:  
O nimium felix arbor, & digna triumphis, (a)  
Cui viret illæsa fronde perennis bonos!  
Nec folium viduis ramis abisistit in auras,  
Quale fluit pomis, quale fluit cerasis.

Est mihi non eadem fors dulce perennat in æuū,  
 Quæ mihi sum, rapto Numine, visa rapi?  
 Mēstrua Luna nouo tibi parturit vsque sub astro (b)  
 Pignora, felici sæpè legenda manu.  
 Ast ubi vix huri libo sacra præmia partūs;  
 Præmia libantem præ grauat atra dies.  
 Et mihi sunt, quicumque solent in amante, dolores:  
 Semper amo; & semper fructus amantis abest.  
 At licet his oculis procul auis auolat exsul;  
 Non tamen hoc animo, quo sequor, exsul abis. 3  
 Quod si palma viret pulchræ secuta coronæ, (c)  
 Ac stæt inexcussis sylua superba comis:  
 Et mihi rura metu firmo spes surgit amori;  
 Nec datur vt victrix palmea dona legam.  
 Quàm vigil vsque pio stetit hic tutela puello!  
 Vindice quàm sepsit sedula cura sinu!  
 Quanta meis nunc, & quondam fiducia ceptis!  
 Quot Syrio, & Phario vicinus orbe fetas! 4  
 Anne putas, cui tot curæ, tot pensa laborant,  
 Exciderint memori pristina dona Deo?  
 His ego tale nihil merui, nec opinor, vt illi  
 Exciderim: matrem sed rāmen ille later.  
 Transque nouā de fraude noui trahit ossa doloris;  
 Et fuga quem rapuit prima, secunda tenet.  
 Sic gemit, vt palmæ flens Virgo subhæsit, vti flos,  
 Nubila quem densis prægrauat vmbra comis;  
 Et nullus cui solis honos, nec gratia roris  
 Adfluit, ac cæcā mareidus aret humo.

(a) Palma perenni frondium viret gloria.

(b) Quolibet mense nouum progignit dactylum.

(c) Olim in coronas triumphales texi solebat: post-  
 modum victrici dexterâ ceptis præferri.

F

(d) Palma

(d) *Palma siticuloso gaudet solo; ac proinde flos,  
cum sit opacissima, nec solem rorem uel transmittat,  
sub ea facile marcescit pro siccitate, & solis nullo ad-  
spectu: qualis item fors B. Virginis abs filio iam  
absente.*

## ELEGIA XIII.

B. Virgo ubi ad fontem residet,  
Amoris telo icitur.

1. *B. Virgo lassata ad fontem desidet.*
2. *Ibi Amoris telo sauciatur.*
3. *Speculatur in colle.*
4. *Adferit pueri lucem ubi uis emicare.*

**R**ectulit ut duros aurora secunda labores,  
Et iam mane nouum feruere cepit iter;  
Matutina pari relegit vestigia passu  
Virgo, piæque comes Virginis aequat iter.  
Ast ubi iam siccos exurit Sirius agros,  
Blanditur vitreis riuus amœnus aquis:  
Inuitatque virens umbrosâ Nympha sub orno,  
Sibila cui blandis obstrepit aura modis.  
Purior ipsa nouis est uisa nitescere Lymphis,  
Ceu speculum; uultus ut bibit unda meos.  
Ad fontem desido, cedri, citriue sub umbrâ;  
Circumstant comites obuia turba nurus.  
Fons gelidis auris mulcet graue sidus, & undis:  
Me graue mulcentem sidus at uerit amor.  
Sentio: furtiuo, qui nescio, vulneror ictu.  
Suspicio; ab puero missile uulnus ijt.  
Ab puero graue uulnus ijt: puer effugis? eheu!  
Effugis, ah! oculis pulcher ocelle meis?  
Obstupui, terigitque repens præcordia mœror:  
Omnis abit, tristi qui sterit ore, color.

Lumina

Lamina tango manu, vacuo sed lumine pulchri  
 Pulcher amoris honos, heu mihi! Gnatus abest,  
 Gnatus abest, absit, varijs sed vt auolat oris,  
 Sic comes hunc varijs aucupor ægra plagis,  
 Aucupium felix! volucris sic arte parentis  
 Velle capi numen; numine panè frui est.  
 Panè sed hoc solidum, fructum quod fraudat amoris,  
 Spemque rapit Gnati, quot mihi damna parit!  
 Adspicio, quacumque ferunt vaga lumina lucem;  
 Qualibet adspiciam; pusio nullus erat.  
 Illicet aërij pernix peto culmina montis;  
 (Fortis amor quò non virget adire pedes?)  
 Prospicio, poterant oculi vel vincere lynces;  
 At acies quouis lyncea fallit agro,  
 Diuidimur gemini mox ad diuortia collis,  
 Hinc ego Virgo parens; Virginis inde comes,  
 saucia Virgo, pio graue cui sedet vberè relum;  
 Virginis ipse comes saucius inde perit.  
 Ah! vno patiere mori duo nomina telo  
 Alme puer, qui sis omnibus vna salus?  
 Quæres heu! vni cæcus dolor ille parenti:  
 Tota sed adspectu terra superba tuo est.  
 Ah! precor, ignoret, si te quis viderit hospes,  
 Ne te blanditijs occupet ille suis.  
 Tu quacumque tener quouis rapis orbe viator;  
 Implebis radijs obuia regna tuis.  
 Se tibi si coràm sistat vel lumine cassus,  
 Gnate tuo pulchrum ducet ab ore iubar.  
 Viderit angusto prælustrem sidere vultum,  
 Phœbe vale, dicet: sol puer ille meus.  
 An queat intus lux tanta latere sub vmbrijs;  
 Hunc quoque si cernat pupula cæca diem?  
 Me tamen ille latet, quâ non vicinior ardet  
 Vlla parens, an abest ergo parentis Amor?

F O ELEGIA

## ELEGIA XIV.

B. Virgo Puerum sine Matre aberrantem optat metu anxia celerrimo cursu adsequi.

1. Sortem suam fonti comparat, qui fugiendo crescit.
2. Monet de reditu.
3. Celeritatem suam & dolorem explicat.

**C**Vra redux dubijs cor mobile ventilat alis,  
 Et feror incertis, ceu rota flexa, vijs.  
 Quid sequar? ane domum, Solymasue reuoluat ad aras?  
 Nulla sed ara tenet, nec domus vlla Deum.  
 Anne pergrandis tecum comes euager oris?  
 Num Solymo fidam currere fessa iugo?  
 Ceu fons ab patrijs peregrinus aberrat arenis,  
 Et secat ignotum vitreus exsul iter;  
 Ac tenui filo trahit arua per obuia riuum,  
 Deinde procul latis it vagus amnis aquis:  
 Sic breuis ante dolor, iam longior error amoris,  
 Ampliat ærvmnas, te fugiente, meas.  
 Nempe pias ardens admordet cura medullas;  
 Vt pueri dulces hausit ab igne faces.  
 Si sic in steriles abeat spes sicca querelas,  
 Inter aquas vt aquæ fons mihi fraudet opem;  
 Nec mihi fons gelidam, gelidas nec sufficit auras:  
 Quæ mihi cor ardens temperet, aura veni.  
 Aura veni, profugoque veni comes vmbra puello.  
 Dicite, quo fleat calle puellus iter.  
 Est aliquid lenire faces, lenire dolores;  
 Si minus has flammæ vicerit ipse Puer.  
 Sed potius, ni fallor amans, & somnia fingo;  
 Gnate, redux mæstos influis vltro sinus.  
 Influis? ab tardas! Mater vocat obuia Gnatum;  
 Quæque vocat, castum pandit amica sinum.

O cui non libeat molli substringere collo  
 Vincula, virgineisque oscula lecta genis!  
 Sed sine Matre fugis: quò tendis in auia rerum?  
 Quid nisi velle mori est, sic properare fugam?  
 Quod caper, aut agnus fugitans pastoris asyllum;  
 Id vagus est, Matris qui fugit ora, Puer,  
 Sive quod est albo fugitiua columba cubili,  
 Pipit adhuc querulo dum rudis ore sonus:  
 Id Puer est, tenero cui flos sit lacteus xuo,  
 Si patrias alio verterit orbe lares,  
 Macta palestinis sed vbi te querito campis,  
 Et comes errantem quâ via cumque sequor,  
 Ægra tremo, dubio rosa ceu tremat anxia vento;  
 Nescia stare gradu, nescia abire fugâ,  
 Atque alios alioque sequor, fugioque recursus,  
 Et labyrinthæas texo, rerexo vias.  
 Non ego Delphinis, trepidis non cessero ceruis,  
 Non aquilis: tanto turbine raptat Amor.  
 Læsus Amor, rapidis qui fulminis ocyor alis,  
 Præuolat Æolias igneus erro rotas.  
 Me rapit huc, illuc celeri fuga concita pennâ:  
 Nec ramen adsequitur quem sequor vsque Deum;  
 Spes nimium fallax miseros vt torquet amantes!  
 Dona fruenda vouet, nec sinit orba fruar.  
 Vt quid opem misero promittit larga dolori,  
 Si spes quam dederit, fallit auara fidem?

### ELEGIA XV.

**B. Virgo abs viatore exquirat nuncubi  
 Filium suum oberrantem  
 offenderit.**

1. *Quarit ex obuijs num puerum adspexerint;*
2. *Cuius pulchritudinem describit.*

**Q**uam grauat immensi iam pars extrema laboris,  
 Substitit herboso languida Virgo iugo.

F iij

Hæc



Hâc carpebat iter quis nescio fortè viator.  
 Tunc sic orsa loqui, seu magè visa queri est.  
 Siste, precòr, viduæque gradus aduerse Parenti;  
 Exsule cum Gnato quam grauat exsul amor.  
 Dicite, quisquis amas seu vir, seu femina Matrem;  
 Nuncubi vos nati contigit umbra mei?  
 Hunc mihi quære celer (mœstam ne falle parentem.)  
 Auius externo qui rapit orbe fugam.  
 Est Puer hic, Pueri sed gratia tanta, vel ipsas  
 Ut violas vincat; vincat & ille rosas.  
 Vincat ebur mimio mistum, baccamque pyropo.  
 Purpura viua genæ, cætera forma niues.  
 Huic toga cæruleo præflore ianthina limbo,  
 Cælitè qui tramâ textile signat opus.  
 Hâc mutare tuum, sol, quo sis pulchrior, aurum  
 Purpureâ velles, lux cui prima, togâ.  
 Ut noris; roseum prætendit dextera florem;  
 Ni potiùs spinas, quas amat, inde legat.  
 Et bene si memini, magè fert necis omen amarâ  
 Flebile de myrrhâ, triste doloris opus.  
 Ambo vibrant oculi, nitidi ceu sidus Eoi;  
 Si non Eoo pulchrius ambo iubar.  
 Lenè seuerus amor blandis pellucet ocellis,  
 Et Charis argutis sessitat alma labris,  
 Stat sua maiestas puero dignanda coronis,  
 Quemque decet, vultu cura modesta seder.  
 Sentires, puero quid grandius esse, puellum.  
 Cui mens digna virò; frons cui Regis honos.  
 Marmoreus nitet ingenno de pectore candor;  
 In tereti tenerum candet ebur digito.  
 Vidit ut os & in ore rosas, quèis vincitur, Eos  
 Erubuit, roseis victa pudore genis.  
 Vidit & ut purum, quo frons nitet alba, decorem;  
 Palluit, & texit candida Luna caput.  
 Videris: arcano puer imbuet igne medullas;  
 Euibrat ex oculis ignea rela suis.  
 Ince facem licet accendas, quâ cernere possis  
 In pueri pulchrâ nube latere Deum.

Ille meus, iam non meus ah! quem venor, IESVS  
 Saxa per, & sylvas, nec meus ille redit!  
 Est tamen, vt redeat meus hic, pars optima Matris,  
 Quo sine pulchra piæ matris imago perit.

ELEGIA XVI.

Ab omni genere viæ timet puero  
 ærumnas, ideoque omni in via  
 illi optat viæ solatium.

1. B. Virgo gemit alios suo filio, ceu fonte vber-  
 rimo, irrigari: se autem siccam relinqui.
2. Aduocat Amorem, qui suas ærumnas de-  
 scribat.
3. Suo in animo depingit, vbi puer fuerit, ibi  
 molestias vel pericula pati.

Cernis, vt hic sitiente solo quem tango cyperus  
 Squaleat, ac riguas ardeat æger aquas?  
 Sic ego desertis iam palleo languida campis;  
 Cui perijt vitæ viuuda vena meæ.  
 Qui reliquis largas dat fons vberimus vndas,  
 Ille puer parcam vix mihi stillat aquam.  
 Meque fugit, fugiensque alias rigat aduena stirpes;  
 Sola sed hic Ieifes flos sitit vsque parens.  
 Id Virgo, & Mater merui? sim cœlite dono  
 Hoc minus apta frui, quo magè digna Deo?  
 O Amor huc adsis, tabulisque inscribe labores,  
 Quos obit incertis anxia virgo vijs.  
 Quot pelago fluctus, tristi quot nubila cœlo;  
 Quotque rosas spinæ; quot sata rela rubis:  
 Corde tot ærumnas alit ægra, nouosque dolores,  
 Cui sua præreptus, vita decusque, puer.  
 Quas non illa vias! quæ non iuga, compita, valles?  
 Quod non illa nemus, vel sine sole specus.

Venatrix profugi lustrat lacrymosa puelli ;  
 Sed tamen ignoto calle puellus abit.  
 Ter Solymâ iterit arce ; ter inde recurrit in urbem ;  
 Ter propius fontem, ter prope templa stetit.  
 Ter refugo pede flexit iter ; ter confraga saxa  
 Scandit ; inaccesso ter sedet agra iugo :  
 Terque resorbet anhela imo suspiria iugultu  
 Hauſta ; ter in raros hincit vt agna sonos.  
 Id clam visa queri est : ( si non me decipit auris. )  
 Deliciâsne breui sic mihi fraude rapi ?  
 Flens adij montes, valles, nemorumque recessus :  
 Mons, nemus, & vallis sed mihi fraudat opem.  
 Ipla ego vocalis mutas interrogo sylvas ;  
 Siqua regis Cnatum quercus an vlime mentio  
 Omnis at e medijs respondit Hamadryas ornis :  
 Nulla tuum, Virgo, mi regit umbra iubar.  
 Quem mihi quisque locus capit ; & sibi serua: IESVM,  
 Ille mei pignus dulce doloris habet.  
 Ipse locus, dubito, dolor an sit & asper alumno,  
 Fert tener ex omni dâna viator humo.  
 Si via sicca ; scabris offendit glareâ scrupis ;  
 Si maderet vda ; lut o detinet vncta pedem.  
 Si viret herba ; virens viridi later anguis in herbâ ;  
 Si regit umbra ; truces occulit umbra feras.  
 Si specus obsidit ; domus hinc later apta leânis ;  
 Sin petra sit ; molles dereret aspra pedes.  
 Si mons surgit humo ; luctatur ad ardua gressus :  
 Si caua vallis hiat ; flumina valle natant.  
 Si dubijs pertusa vijs fors compita scindat ;  
 Si via nota Deo est ; Matris at error erit.

## ELEGIA XVII.

Deprecatur B. Virgo omnes viâ mo-  
 lestias leniri.

**S** Atque superque graues tulit hec, tulit ille labores,  
 Vt tener in molli sensus vtri que sinu est.

Est & ut hinc aliã pandam noua vela sub aurã,  
 inque alio currat iam mea cymba mari.  
 Mollior ut duros fors leniat ergo labores ;  
 In placidas ibit versa querela preces.  
 Annue maternis rerum pater optime votis :  
 Nunc iter omne nouus leniat ergo tenor.  
 Si via sicca, pedi mollem substernat arenam.  
 Si maderet umbre, recens cespes obumbrat humum.  
 Si viret herba ; virens viridem flos induat herbam :  
 Si regit umbra, piã garrula pascat aues.  
 Si specus altus hiat ; tutus sit ab umbre receptus :  
 Si via dura petris ; molliat herba solum.  
 Quæ cœlo adfurgit tumefacta superbia montis,  
 Nunc humilis paruo sub pede sidat ager.  
 Numinis exemplo, cui cum desurgat Olympo  
 Maior honos ; imo serpit, ut umbra, solo.  
 Siqua solo fugiente palus iter haurit euntis ;  
 Sicca velim sicco nunc stet arena pedi.  
 Sin biberit gelido de fonte, vel amne liquorem ;  
 Hunc circum violas plurima fundat humus.  
 O sol parce ! pio puluis quoque parce puello :  
 Ne violet squalor nobile frontis ebur.  
 Utque puer tener est, tenero se puluere vertat,  
 Qui lapis offenso sub pede durat iter.  
 Ipsa velim certè densas supponere frondes,  
 Glarea ne molles deterat vlla pedes.  
 Ipsa velim spissis umbracula texere ramis ;  
 Ignea ne nudum decoquat aura caput.  
 Ipsa velim nimbos trepido defendere peplo,  
 Sollicitoque caput claudere dulce sinu.  
 Adijciam quidquid pius imperat vsus amoris :  
 Quaslibet in curas quamlibet apta trahar.  
 Discite, qui sapitis, quid sit seruire puello ;  
 Cui qui seruit amans, regia iura regit.  
 Obsequium par imperio dat, & imperat astris,  
 Qui pius in famulo pectore regnat Amor.  
 Huic puero, dominã curã qui temperat orbem,  
 Qualiacumque voues munia, magna voues ;

F v

Imò

Imò puer magnis spondet sua fœnora votis.  
 Quisquis magna vouet, maxima dona feret.  
 Sole micat radius; radio lux, luce fit Eos;  
 Ridet ad Eoum ver geniale diem.  
 Vere viret flos, flore fauus, de rore fluit mel:  
 Melle sapor dulci læta sapore fitis:  
 Omnis & ambrosio Gnati fluit ore voluptas;  
 Gratiaque ambrosio dulcius imbre decus.  
 Hic mihi sol, hic ver, hic & rosa digna coronis;  
 Lux sed abest, & honos veris, odorque rosa.  
 Ver cum sole redit; cum vere rosaria florent:  
 Nec cum sole redit, vere, rosæue puer.  
 Est quis vt hic dicat: breuis est mora, parce dolori,  
 Hunc reuclat niueis alter Eous equis:  
 Alter enim lærum promittit Phosphorus ignem,  
 Quòd tibi stella dabit, sol neget ipse iubar?  
 Tum tibi iucundo nouus ibit Eous Eoo,  
 Nocturnumque dabit fulgere luna diem.

## ELEGIA XVIII.

**B. Virgo & Ioseph dumetis inhærent,  
 indagantes Puerum: vnde dulce  
 reportant amoris vulnus.**

1. *Spes vbi B. Virginem & Ioseph sefellit; sese in  
 dumetis deprehensos queruntur.*
2. *Suum è spinis dolorem, vti & pueri de-  
 plorant.*
3. *Amor ea dulcia adserit esse vulnera.*

**F**ors vbi Virgo Parens, & par cū Virgine coniux,  
 Cuncta pererratis persecat arua vijs;  
 Inuenies puerum, simul inueniere puello,  
 Spes ait: hæc merces digna laboris erit.  
 At verò vacuis fraudat malè credula votis.  
 Hactenus vt planum virgo cucurrit iter,

Ecco

Ecce tibi, densis vepretum textile ramis,  
 Implicat errantes per loca cæca pedes.  
 Ferreus obnixos Ioseph irrumpit in hamos :  
 Vincit amor duros durior ipse rubos.  
 Quis scit an his spinis Iesse flos hæreat, inquit,  
 Quid nisi durus amat pugio dura sequi ?  
 Sæpe monet lacrymans: his te puer eripe dumis ;  
 Nil facit ad molles aspera sylua pedes.  
 Aut si nullus erit dumus ; tamen effuge nullum :  
 Fortè repens dumis surget acuta seges.  
 Carduus hinc isthinc forsau paliurus aduncis  
 Præpediet telis, ô mora dura ! gradum.  
 Ah puer ille, meum cor, cui viger entheus ardor,  
 Cordis an ergo mei tu tua damna feres ?  
 Ast in amore dolor iuuat, & par vrit IESVM :  
 Cor ægrum lacrymis miscet vterque suis.  
 Desine, dixit Amor, densos perrumpere sentes,  
 Desinit ô ! Ioseph auocat inde gradum :  
 At spinis vt is ictus erat, desedit in herbâ,  
 Et querulâ cœpit sic sibi voce loqui :  
 Heu ! vbi Iesseidem terrâ Iesseide florem  
 Quærit Amor ; reperit spinea tela dolor,  
 Testis erit rubus iste minax in spicula ; testis  
 Pes lacer, & lacero qui pede sanguis abit :  
 Quis scit an & tenerum seges hirta doloris alumnum  
 Implicet, ac scindat spinea sica pedes ?  
 Nec fera virgineæ parcent dumeta parenti :  
 Quod rimui ; dumis saucia Virgo gemit.  
 Indignum facinus ! merces hæc iusta laborum,  
 Vt violet sanctum sylua scelesta caput ?  
 At tenero iam parce, precor, pia spina Puello,  
 Dum licet, inde virum spinea bella manent.  
 Sed quid ego plantis mordaces arceo sentes ?  
 Quæis Puer errat agris, stat nisi senta seges.  
 Nequicquam monui : vos hinc absistite vepres :  
 Hæferunt lacero tela cruenta pedi.  
 Nempe noui timor vsque sagax discriminis augur,  
 Si qua tulit, semper damna ferenda timet.

Virgo

Virgo puerque feris sese, ô dolor! induit hamis;  
 Multus arat sanguis trite doloris iter.  
 Sic vidi, aut vidisse reor. sibi quidquid acerbum est,  
 Fingit amor: cœcum cui timor umbrat iter.  
 Sic vbi spina rigeat, quæ ledere possit alumnum;  
 Heu! Genitrix Gnati læsa dolore gemit.  
 Sic & ego: diræ cor vrunt conscia noxæ  
 Vulnere, nunc cordi spicula facta meo.  
 Spina silexue pedem si quæ teat aspera Gnato,  
 Ah! secat hæc oculos spina silexque meos.  
 Floris an ille mei est virgæ è Iesseidæ fructus,  
 Mater vt in Gnato vulnere senta legat?  
 Quæque parit, pereat? partus sic gaudia carpit?  
 Quis ferit ah! pomum; poma nec inde legit?  
 Mellitisque oculis nil dulce, nec auribus vsquam  
 Hauriat è Gnato Mater amara suo?  
 Iamque suum cedris inscribat mœsta dolorem,  
 Vt crescente cedro, crescat & ipse dolor?  
 Ista parens spinis lætæ sic aggemit vlmò:  
 Ni magis hæc vlmus mœsta cupressus erat.  
 Tum qui virgineo lateri semper comes hæret,  
 Exime dura sinu spicula, dixit Amor.  
 Nolo putes istis rubus asper inhorreat aruis,  
 Florea cui sento messis oborta solo este  
 Vlnus enim tibi dulce decus, sors dura voluptas.  
 Dummodò de Gnati viuat amore dolor.  
 An non quæ tenero pridem placuere puello,  
 Et placeant matri vulnere grata suæ?  
 Quod velit, opro velis; & erit voluisse voluptas,  
 Si pes vepre laeet, sub pede floret iter.  
 Flos si Iesse Bethles spinosis hæsit aristis;  
 Quid vetat hunc Solymis denuò stare rubis?

ELEGIA

## ELEGIA XIX.

Omnia in omnibus Christus  
præfens agit.

1. *B. Virgo enarrat Filium suum omnibus in re-  
bus omnia agere, & adesse; sibi autem un-  
abesse.*
2. *Felicitatem suam deprædicat, si adforet.*
3. *Pristina sua gaudia commemorat, & suam  
præsentem calamitatem exaggerat.*

**E** St mihi, sitque diu vitæ, precor, vnicus hæres,     x  
 Vnicus; & vitæ viuida vena meæ.  
 Si vacat; illius dotes numerabo, vel artes.  
 Sed numero flores vincit, & astra suo.  
 Has tamen ipsa canam (nec erit labor) illius artes:  
 Et chelyn, & plectrum suggeret, vnde canam.  
 Nobile cuique libro prætexit pagina nomen;  
 Atque stylum doctis imbuit ille fauis.  
 Si qua leui Zephyrus motare cacumina cedro  
 Cœperit, hunc Gnati quis neget arte regi?  
 Naiadas argutz si sibilus influat auræ,  
 Mobilis in crispis ludat & vnda modis:  
 Tum dico, meus errantes Puer imperat vndas  
 Ludere: de Verbo discit & aura loqui.  
 Si volitant pictæ magnam per inane sorores:  
 Dico; Puer volucres ditigit ille vias.  
 Si docili sulcos infindit arator agello,  
 Dux Puer hinc rectum vomeris vrget opus.  
 Si Zephyro strarum stagnis silet omnibus æquor:  
 Gratulor ab Gnato vitrea regna regi.  
 Mênstrua Virgo novos sibi quando refingit honores,  
 Accipit ab Christo nobile luna caput.  
 Si cæcis obsignat iners nox sidera nimbis;  
 Euoluit piceis hic Puer astra globis.

Si cæle



Si cœlo facies aridet amana sereno ;  
Ex oculis IESV lucet Eoa dtes.

Nodoso gravidæ rurgent in palmitre gemmæ ;  
His rûde de gemmis parturit ille merum.

Si crocon, & nardum radijs sol adflat odoris ;  
Veris odora croco gaudia Gnatus alit.

Immensi maris ille breui vim frangit arenâ ;  
Ille pares iusto pondere librat aquas.

Denique quidquid agi sub vtroque videbis Eoo,  
Vnus id omne meus me sine Gnatus agit.

Primus, & vnus agit Puer omnia, & omnibus imus  
Hæret agens rebus ; quas foris ambit, inir.

O felix hac prole Parens, quis diceret hospes !  
Sic erat : ast malim dicere : rursus erit.

Sed qui cunctia regit, velit ô Puer ille parentis,  
Ut solet, arte regi, cuius amore regar !

Sic precor, inquit Amor MARIÆ : qui quærit Amorem  
Christe tuum fratris gaudia frater amat.

O ego tum felix, si nunc in Virgine vultum  
Fixeris, vt dulces hauriat inde faces :

Non sine flore faces. ô quæ tunc gloria formæ !  
O quis tunc animo splendor, & ardor erit !

Sic ego sperabam ; quæ non id mater alumno  
Sperat ab ipsa suo, cui tot amoris opes ?

Sed quid? abir, dulcesque abiens simul abstulit ignes,  
Et decus omne, meo si quod in ore stetit.

Altera quæ Rebecca, Rachel simul altera, & ipsa (a)  
Altera Sara, Puer ni mihi dēsser, eram.

Os candore rosas, anteiret honore pyropos ;  
Adflaret radijs si Puer ora suis.

At nunc vt miseram iam candor liquit ; oliuæ  
Pallor, & ante genæ purpura squallor erit.

Quæ cœlo facies, vbi iam sol exfulat astris ;  
Hæc eadē Marri est, si puer exsul abest.

Ante quidem pulchram quam sol mirere Noëmi, (b)  
Nunc, & amara parens, ipsa MARIA gemit.

Omnibus è venis sanguis dimanat amaras  
In lacrymas, aloënque ægra medulla bibit.

Hic myrrhæ facies, sed faucia myrrha sub ipso  
Sole fluit : lacrymor, sol quia nullus ades.

- (a) Rebecca, Sara, Rachel pulcherrime Patriar-  
charum coniuges.
- (b) Noëmi ob famem diu in Moabitide hospes,  
postliminiò redux, ex Noëmi, id est pulchrâ, iubet se  
vocari Mara, siue amaram, ob amissos liberos.

ELEGIA XX.

B. Virginis cor, ceu punctum, in liqui-  
do lacrymarum circulo subsidit.

- 1. Cor B. Virginis, vt punctum, stat in lacrymis;  
cui O, quod suspirat, fit circulus.
- 2. Miratur vario solis in recursu Puerum adhuc  
abesse.
- 3. Vt solstitium bis anno recurrit, Et sol tum quasi  
stat in puncto; sic optat, vt puer qui sibi est  
sol, se sistat matri, eiusque cordi insidat.  
Ideoque monet vt redeat.

**M**ater inexhaustos vbi nubila depluit imbres;  
 Confluxit bibulo plurima lymphâ solo.  
 Vnde coit gemino de fonte volubilis erbis  
 Lymphidus : his lymphis virgo cor abde tuum.  
 Vt delphin, hoc maris amor natus aduena stagno,  
 Spesque, metusque regit pinna biremis iter.  
 Omnis eò geminis oculis vbi cogitur humor;  
 Hic graue cor punctum triste doloris agit.  
 Multa fugit varijs hinc linea fluxa querelis,  
 Vnde sibi luctus circulus amplius ear.  
 O suspirat hians; simul vberit vnda doloris;  
 Logubris vnde nouis fletibus orbis ear.

O iterum

O iterum geminat, sic tu mi parne parentem?  
 Sic miseram? quid adhuc it sine sole dies?  
 Hei mihi! quam longum celer hora recurrit in annū,  
 Dum queror, & vitæ tædia longa traho!  
 Seu pater auricomus vitreo ciet æquore currum;  
 Seu lauat hesperio spumea fræna mari:  
 Nec cum sole redux oculis adlucet IESVS;  
 Nec cum nocte meos visit, vt ante, lares.  
 Nec saltem tanto radius breuis emicat astro;  
 Conscia nec profugos signat arena pedes.  
 Res similis monstro: luxit sine luce: nec vsquam  
 Parua sub immensa luce vel aura micat.  
 Iamque bis huc reduces aduertit Eous habenas;  
 Nec tamen affulsit lætior inde dies,  
 Si variat Titan bis seno sidera signo,  
 Alternumque redux annus oberrat iter:  
 Et bis in alterno, rota quæ fugit annua, puncto  
 Sol tibi sistit hiems, sistit & æstus equos;  
 Solstitiumque pari puncto discriminat impar,  
 Feruidus hinc Cancer, frigidus inde Caper:  
 Cur non æqua pares mihi temperat hora recursus,  
 Nec variat curas spes reditura suas?  
 Si mihi maror hiems, & amor mihi læta sit æstas,  
 Cur nisi solstitium triste stat æger Amor?  
 Si sua sidereus relegit vestigia Cancer;  
 Et reuocet cursas huc Puer ipse suos:  
 Obuia si stiterit longinquos meta labores;  
 Solstitio hoc æstus quantus amoris eat!

## ELEGIA XXI.

## B. Virgo reuocat fugientem Puerum.

1. Pueri fugientis labor describitur.
2. Suspicitur Mater varijs de causis abesse Puerum.
3. Monet, vt tandem maternis fleclatur precibus.

Errabunda

**E**rabunda rapit dubijs vestigia campis,  
 Virgo; quies tutò sedit vt alta toro,  
 Diditaque innumeris Puerum rapit orbita sulcis,  
 Ni metam Solymo fixerit ille solo.  
 Nescio plus Matris miseret, Puerine labores:  
 Si tener hic agnus; cur labor asper habet?  
 Et sic flos, niueis qui Matris inhaereat vlnis,  
 Vt quid obit duro spinea tesqua solo?  
 Qualiacumque teret sola, sint licet herbida pratis;  
 Hunc labor vrer adhuc, ceu fera spina rosam.  
 Nec dubium, teneris queis lactea vena medullis,  
 Franger inexpertos semita longa pedes,  
 Ni potius molles via scrupca dissecet artus,  
 Et grauis ambustis decoquat ardor agris.  
 Interea pulchrum mihi subripit error alumnum,  
 Error, sive timor, seu magis asper Amor.  
 Eximios Gnati quis nescio torsan honores  
 Inuidet, affectusque occupat arte meos.  
 Ni potius rapidis (magè quod reor) auolat alis,  
 Et inuat vltro crucis tædia dura pari.  
 Crux siquidem primis inoleuit adulta medullis;  
 Quidquid & edulã de cruce mæror alit,  
 Sit satis ò tandem, mi parue viator; iniquis  
 Tanta tulisse vijs tædia, ferre crucem est.  
 Ergo recurre pijs, mea vita, Parentis in vlnas,  
 Quæ vocat est Virgo, Mater & ipsa Deo.  
 Vox cui sit, ceelo Numen quæ deuecat imas  
 In terras, placitis sic trahit illa modis.  
 Dum trahit hinnuleum, trahit hinnuleiq; parentem  
 Fistula, flexanimis fallere docta modis,  
 Qui fugeret volucris pennata pericula leto,  
 Induit insidijs hinnulus vltro latus.  
 Et flecti facilis maternis Gnate querelis,  
 Tu placido nolis victus amore capi?  
 Fistula blanda canis, lacrymans cui stillat ocellus;  
 Suavior ad lacrymas liquitur aura meas.  
 Nec tamen ipse meas audisue, videsue querelas?  
 Sordior an ceruo sit meus, ergo Puer?

Sed meus hic IESVS, oculus qui totus, & auris,  
 Et videt, & questus audit vbiq; meos:  
 Nec tamen his lacrymis, ceu relis ietus amoris,  
 Huc redit; at nostro spicula corde serit.  
 Pectoris ipse mei tu cor, & vinidus ignis,  
 Ah! Puer hæc cordis vulnera ferre queas?

(a) *Cernus eanenti fistula adstupet, interim clamor  
 ex insidijs sagittâ appetitur, capiturque dulci cantus  
 illecebrâ mirabundum animal.*

### ELEGIA XXII.

Rerum omnium facies in alia omnia  
 amisso Puerō vertitur.

1. *B. Virgo suas arumnas exprimit; ideoque  
 optat suum Puerum adsequi, ut ijs exi-  
 matur.*
2. *Rerum prius leta facies in tristem solitudinem  
 mutatur è B. Virginis dolore.*
3. *Si redeat Puer, & pristina rerum facies re-  
 dabit.*
4. *Spondet viatori flores, qui Puerum indicavit.*

**T**V mea spes, tu Gnate meum decus, exulis instar,  
 Ut quid adhuc vario flectis in orbe vias?  
 Tu potes incertâ sic fallere sorte Parentem,  
 Qui via certa, sacra qui stata meta viæ es?  
 Euge, redux tristi matrem Puer eripe nimbo.  
 Me mihi quò rapias? quid mea vita fugis?  
 Mater adest: nec adhuc placido me tangis ocello?  
 Irradia blando sidere: Mater adest.  
 At tu nullus ades. per coeca, per auia rerum,  
 Sic sic hoc gremio transfuga parvus abis?

Et plue

Et plus Matre placet, quæ nescio, torrida rupes;  
 Lustra vel horrificis exululanda feris?  
 Tristis heri dixi: felix ego mater, alumnus  
 Tot cui dona dedit, plura daturus erat.  
 Heu! tot opes tulit vna dies, iam solibus atris  
 Gaudia fluxa dolor, noxque perennis habet.  
 Hos ego Virgo Deum peperit pia Mater in usus;  
 Semper ut ægra teram, quod teris exsul iter?  
 Ten' tenet Euphrates, Tigrisue, Tagusue, vel Hermus  
 Iordanisue, nigri vel Melo cultor agri?  
 Dic, precor, & sequar æqua tuos, mi parue, labores;  
 Et quodcumque viæ est, mera doloris erit.  
 Ibo pari nunc mater amans pede Memphim, ut olim  
 Et comes, & custos exsulis exsul ero.  
 Sed quò vis abeam, rerum cui vertitur orbis,  
 Ac mundi facies, altera, mundus abit?  
 Ah! mihi sol nimbus, nox Cynthia, nectar amaror,  
 Ver gracialis hiems, lilia pulla cinis.  
 Iam rosa spina, fauus colocynthus, oliua cupressus,  
 Mors mera spes, vitæ nescia vita dolor.  
 Adde, quod ille mihi gemini qui luminis instar,  
 Hisque oculis oculus, me quasi stella fugit.  
 Eia redi rebus sua forma redibit & usus;  
 Et mihi ver almo sidere pinget humanam.  
 Sol mihi lumen erit; lux Cynthia, nectar ambrosium;  
 Flos rosa; veris ebur lilia; vita salus.  
 Spe sterili vanas sed vana quid aucupor auras?  
 Et sero, quæ nunquam vota beata metam?  
 Omnibus ille vijs fugit; omnibus insequar aruis;  
 Nec Dryas vlla tulit, nullasue Nais opem.  
 Dic, precor, hunc vllis si videris obuius oris,  
 Quisquis obis Solymo rure viator agros;  
 Et tibi munus erit flos hic de Virginis horro,  
 Flos cui cum myrrha Nardinus halat odor.  
 Flos grauidus fructu, flos cui rosa cedat honores  
 Ipta suos hic stat; sed rosa fluxa fugit.  
 Floris odoratâ quid nescio spirat ab aurâ,  
 Vnde per ægra redux infuat ossa vigor.

Crede mihi, si quando labor tibi fregerit artus,  
 Flos fessum medicâ leniet almus ope.  
 Nunc age, carpe viam, pulchri si gratia floris  
 Te tangat; puero sed duce, carpe viam.  
 Ille, tibi qui signet iter, lux conscia veri est;  
 Et via, quâ tendas; quamque sequare, salus.  
 Quâ pueri venit umbra, venit lux clara salutis.  
 Si latus umbra tuum tangat, Eous erit.

## ELEGIA XXIII.

Iosephus suspicatur in obuiâ syluâ  
 puerum delitescere.

1. *Iosephus existimat in syluâ Puerum haerere.*
2. *Sperat rediturum.*
3. *Timet è sylua aliquid mali.*
4. *Subit syluam, & alloquitur arbores.*

**H**ic quæ sylua viret densis incædua ramis,  
 Nox cui sublustrum fraudat opaca diem:  
 Quis scit, an vmbroso Puerum tuearur asylo,  
 Quem piget aprico sole, solo que coqui?  
 Si struat hic multâ secura cubilia quercu,  
 Hinnuleique patris, hinnuleusque nepos,  
 Quid vetat, hinnuleo qui mollior errat, Alumnum  
 Abdat inexcussis protinda sylua comis?  
 Quem bene si noui, (cuiam imagè notus IESVS?)  
 Lumina quo viret, deuia lustra subit.  
 An non Bethlemio primum iubar abdedit antro,  
 Dum Puerum cæco nox premit alta specu?  
 Vt lubet, inuis condat se nubilus vmbri:  
 Quod teget umbra, suo publicat igne iubar.  
 Hoc iubar, esto premant obscura silentia noctis,  
 Atamen id nolit perpetè nocte premi.

Fraterbas

Fraternas imitata rotas redit altera coelo  
 Delia, & alternum Delius ambit iter:  
 Et Puer vsque redux luces alternat, & umbras:  
 Lux tamen hic umbris ocyor vsque redit.  
 Tantus amor teneri sub pectore spirat IESV;  
 Ut nequeat lentis vrere corda moris.  
 Sed tamen vrit, & errat ut ignis, & vnda sub Euro,  
 Qui foret ærumnis portus & ara meis.  
 Deprecor, hos ignes gelidis ut misceat vndis;  
 Temperet ut sæuas ignis, & vnda faces.  
 Sic gemit attollens Ioseph ad sidera palmas:  
 Ora natant lacrymis; cætera languor habet.  
 Et timet, & sperat, refugitque quod ambit, & anceps,  
 Quærit, an umbroso perdat in orbe Deum.  
 Inuitat via trita pedes, nox frondea terret:  
 Spes hinc tuta trahit; retrahit inde timor.  
 Statque, labatque, pari raris ut natat anxia vento,  
 Ire diu libuit; sed modò stare iuuat.  
 Adspiciens sylvam stat, ut arbor, ad arboris umbram. 3  
 Et pauet intrò pedem ferre, referre pudet.  
 Hic toruas stabulare tigres, stabulare Leones,  
 Est merus. an vincet viuida cura metum?  
 Ecquid agat? spes æqua suis sed militat ausis:  
 Spes graue suadet iter, spe duce victor adit.  
 Quod bene vertat; inuit densis sola confraga syluis:  
 Hæc sed inire, statæ est ire salutis iter.  
 Exclamat medijs cedris, simul & terebinthis;  
 Num pia cedre Deum, seu terebinthe tenes?  
 Seu viridi cyparisse caput premis obsita velo,  
 Mœsta diu lætis omina verte comis.  
 Et mihi redde pium nunc arbor amœna Puellum:  
 Grata mei tandem meta laboris eris.  
 At loca sola tacent, quercus tacet omnis & vlmus,  
 Si non ad Zephyrum murmura bruta darent.  
 Quin & amica cauis è vallibus indicat Echo,  
 Multa querente viro, nil modò visa queri.  
 Istud an immenso de Verbo & Numine restat,  
 Numinis ut nusquam vel breuis aura strepat?



Flecte nouas alio stadio Iosephe quadr'gas :  
 Area nulla tuis hinc patet apta rotis.  
 Quis precor, vmbrosis vbi nox stat plurima syluis,  
 Quærat inextincti nobile solis iter?  
 Eia Sionæi iuga suspice candida montis:  
 Montibus e summis surgit Eoa dies.

## ELEGIA XXIV.

Adiurat B. Virgo Puerum, vt redeat:  
 sin, eum optat floribus inscribi.

1. B. Virgo adiurat filium, vt recurrat.
2. Monet Matrem reuisat.
3. Omnibus rebus suum optat inscribi IESVM,  
 vt vbius reperiat.

**S** Imemini refugo bis ab orbe recurrit in orbem  
 Mobile signifero Solis iter stadio.  
 Bisque redit mæror: quavis niger annis in hora,  
 Quo sine sole dies, quo sine prole Parens,  
 Et nulquam niueæ signant meâ turba columbæ  
 Augurium, ac Pueri triste fugacis iter.  
 Atque vtinam signent! sed quo magis auis errat,  
 Hoc magis in pectus spicula certa iacit.  
 Nescio qui fiat, quo longius auolat exsul,  
 Hoc propius Gnati cor mihi torret amor.  
 Ardeo, ceu Phœbe fraternis obuia flammis, (a)  
 Dum procul ab Phœbo triste retorquet iter.  
 Te per ego lacrymasque tuas, mi Gnate, measque,  
 Has ego, quas læso pectore pasco, faces;  
 Per quicquid tibi dulce sacro de flore pudoris,  
 Influe Virgineos, influe, Parue, sinus.  
 Et potes, & debes, is lucus, & orbis Amoris,  
 Vt fugiat, refugoque orbe reflectat iter.  
 Vtique facis, poteris. Puer es: iam lude per agros.  
 Lude; sed in castos nocte recurre lares,

Virgineone

Virgineone sinu torus aptior vllus alemnno est ?  
 Grator an casto corde, fit ara Deo?  
 Sed quid vbique vagum cassis inuito querelis,  
 Nec magis æqua pari, quâ fugit, arte sequor ?  
 Nunquid t phratæas iter omne reuoluis in oras,  
 Et iuuat hic cunas visere Parue tuas ?  
 Sin tener inuisis Memphitidas exsul arenas ;  
 Fac, tibi, Gnate, Parens quâ comes iuit, ear.  
 Ibo comes ; MARIAMne tuus tum faller IESVS ?  
 Fallere non nouit Virgine natus Amor.  
 Si tamen auersas hoc orbe retorquet habenas.  
 Et procul hospes abit, non tamen hostis erit.  
 O quoties, dixi, paucis quem carpsimus horis,  
 Heu fugit ante diem flos tener ille suum !  
 Quod superante sui felix de pignore voti,  
 Flos modo lætus Amor, spina doloris erit.  
 Siqua Dryas syluis occurrit idonea sculpi ;  
 Hic IESVM docili, spes mea, sculpe libro.  
 Siqua virent, serpuntque nouis violaria pratis ;  
 Has lacrymas, IESVM queis sequor, opto bibant,  
 Inscibatque suis folijs flos omnis IESVM ;  
 Quem sol in viridi luce, vel astra legant.  
 Mater vbique suum quò sic deprendat IESVM,  
 Quem flos aureolis pinget vbique notis.  
 His dolor & violis MARIAM lacrymabile nomen,  
 Et mea purpureo vulnera scribe stylo.  
 Pulcher honos viduo sic iam florebit amori :  
 Flos sit vt iste meis apta corona comis.  
 Flos tener vt crescet ; fructus sic crescet amoris.  
 An MARIA & IESV pulchrior vllus Amor ?

(a) Luna quo magis à solo recedit, plenior  
 lucem accipit, uti fit in plenilunio.

## ELEGIA XXV.

Somnium B. Virginis de suo  
hinnulo.

1. Se tenere hinnulum in gremio B. Virgo existimat.
2. Angeli varijs eum ornant donis.
3. Spem vanam Virgo accusat.
4. Inuitat ut tertio demum die redeat, antecertè stella sibi, uti Magis, Puerum indicet.

**R**escidit immeritæ tot fœdera facta parenti:  
 Parvulus abrupta devia dextra fidem,  
 Ut memini, (longi meminisse doloris imago est.)  
 Sole bis elapso, lapsus & ille manu est.  
 Interea varijs ut ludit opinio formis;  
 Haud minus & varium Protea somnus agit.  
 Præsertim vacuum si spes rea fraudat amorem,  
 Mentiturque nothâ luce salutis iter.  
 Credidit ipsa suo (quid non spes fingit amantis?)  
 Hinnuleum ceruæ decubuisse sinu.  
 Mille parens ludos cui reddit, & oscula mille,  
 Et cui delicias mille beata facit.  
 Ac cui nascenti tot dona tulere sub antro,  
 Nunc etiam superi munera grata ferunt.  
 Et decet, an viridem capitis quis tardet honorem,  
 Hinnus ubi ceruæ gaudia summa refert?  
 Quisq; celer iusti sortitur pensa laboris:  
 Pars thyma, pars nardum, pars meliora legit,  
 Inque manum venit vltro sacrum textura coronam,  
 Quæ rosa sit pratis, aut thyma lecta iugis,  
 Sic ubi gestit amans felicis ad omnia somni,  
 Et fruitur votis Virgo, nec apta frui est;

Eccè

Ecce repente sinu fugit exsul imago; beato  
 Heu! gremio Gnatus nullus, & hinc erat,  
 Absentem ramen audit amans, tangitque, videtque,  
 Sed terigi se, magis perdere vota fuit.  
 Fluxus enim quod donat Amor, mox tollet, vt Auster,  
 Qui, breue ver riguo quod parit imbre, rapit.  
 Heu! nisi fallacem voto sequor aucupe ventum,  
 Venatrix Puerum dum sequor ægra meum;  
 Quid iuvat incertis amissum quærare regnis,  
 Si magè quærentem me magè præda fugit?  
 Et magè perdo, pijs quem sic imploro querelis,  
 Ac magè materno fraus rapit atra sinu?  
 Sic radios sol, sylua comas, flos languidus ostrum,  
 Ver violas, Tyriam perdis amelle togam.  
 Sed radius cum sole redit, cum vere rosæ flos:  
 Nec cum sole redit, vere, rosæ Puer.  
 Paruule quid tardas? non tardat & alter Eous,  
 Quem reuehit rapidis tertius orbis equis.  
 Altera lux surgit spatium mihi longius æquo:  
 Ni quoque par sæclis sit tribus vna dies.  
 Immenso paruum nihil est, vbi sperat, amanti;  
 Vna dies annum, sæcula que annus agit.  
 Est quis, vt hic dicat: breuis est mora; parce dolori:  
 Sed breuis in læso nullus amore dolor.  
 Rursus in æternas lacrymas funestus Eous  
 Ibit, & ibit adhuc, qui prius error iit.  
 Sis memor; in numerum Diuûm plaudente theatro,  
 Fulgere nocturnam lux dedit alba diem.  
 Candida que interpretes Diuûm Berhlemide per a  
 Euoluit, pauper quem legit herba, Deum.  
 Aduertit que Magos viridem præsepis ad aram,  
 Stella loqui Verbum docta, nec apta loqui.  
 Nec te, Gnate, tuæ lux tertia reddit alumna?  
 Quod tua stella dedit, sol iubar ipse neget?  
 Vilius Arabicis matris caput ergo coronis?  
 Præ que nigris sordet candida Virgo viris?  
 Eia, redux tandem moestum Puer influe pectus!  
 Luce carens moesto pectore vita fugit.

Si properas ; simul hæcæ salus properabit in vlnas.  
Te mihi si reddis, me mihi Gnate paris.

## ELEGIA XXVI.

Iosephi somnium de hinnulo  
sibi elapso.

1. Ioseph mane somniat se videre fugientem per  
spinas hinnulum, suo elapsum gremio, quem  
persequitur.
2. Id ipse somnium de Pueri amisso explicat.
3. Docet quomodo Puer sese ad spectu parentum  
subduxerit.
4. Explicat quarendi Pueri studium bipertito  
dixissim.

## VOX IOSEPHI.

**N**Ox vbi sat pronis moritura pependit habenis,  
Quam propior rapidis Phosphorus vrget equis.  
Tum mihi mira nouis Morpheus simulacra figuris  
Exprimit, augurij non caritura fide.  
Si mihi cura Puer, quæ nocte, dieque recurfat,  
Quid nisi de puero somnia somnus alat ?  
Hinnulus hoc gremio mihi vitus abire per auras,  
Qui candore niues vinceret, astra fugâ.  
Quâ fugit, hamatis seges emicat aspera spinis.  
Quâ sequor, inspicant spicula senta pedes.  
Sancior infelix, cruor hinc, cruor effluit isthinc,  
Pallet ad ærumnas decolor herba meas.  
Quique prius viridi flos hic ridebat ocello ;  
Semianimi cœpit pallidus ore mori.  
Iamque pedi digitos, oculosque aduerto ministros ;  
Quæro dein, plagis quæ medeatur, aquam.  
Flamma perurendis inserpit adulta medullis,  
Cui peperit cœcas spinea sylua faces,

Excitatio

Excitor : excit enim mordacis imago doloris,  
 Vana quidem, veri sed cui certa fides.  
 Anne putas semper nox ludat inanibus umbris?  
 Sæpè vigil somno cura reducit opus.  
 Testis ego, testisque parens, vt fugit IESVS  
 Ad Pharon; & matrem nunc fugit ille suam.  
 Meque super later ille, diuque latebit: eundem est,  
 Quo iubet ire Puer, vel quibus errat agris.  
 Et quibus in syluis volitat, quibus effugit aruis,  
 Cor mihi dulce nocens vnde sagitta ferit.  
 Si tanti vacat annales audire laboris,  
 Vix satis in questus annus, & annus erit.  
 Ordinat innumeris igitur rexenda querelis  
 Damna, per inuitas euoluenda moras.  
 Anna solemnnes pascebat victima flammam,  
 Vina quibus sacros aduocat ara choros.  
 Cui seges Inda, suas & cui Panchaia messes  
 Mittit, adoratis dona cremanda focis.  
 Ergo puer, puerique parens comes aduolat aræ,  
 Nubila cui puris fumat acerra sacris.  
 Est tamen hic aliquis thuris qui vincat odorem,  
 Et cui thus ipsum libat odoros honos.  
 Ipse sed ignotus Solyimo nunc aduena templo;  
 Postmodò sed pulchro sidere notus erit.  
 Inde domum via prona refert Solymitide petra:  
 Hinc vir it umbra viro, discolor inde nurus.  
 Tres sumus, æqua pari quos iungat dextera nodo;  
 Nescio quo casu de tribus vnus abit.  
 Is Puer: incertis via quæ rapit inuia campis,  
 An fuga, siue repens terror, an error agit,  
 Nescio. (Numen enim quis norit, & illius artes)  
 Quidquid id est, fugiens, hoc scio, celat iter.  
 Tunc ego, tunc Coniux, partimur vterque laborem:  
 Par it vtrisque dolor, par it vtrisque labor.  
 Mœsta parens dextrum, læuum celer occupo collem,  
 Dexter, vt & læuus, fallit vtrisque fidem.  
 Iosephum, memini, Syrijs pater anxius oris (a)  
 Quærere gestibat, quæ fuga cumque rapit. Quæsierat

Quæsierat

Quaerit, Phariâ Memphis quem detinet aulâ,  
 Iosephum; & Regi proxima sceptrâ tenet.  
 At nunc Iosepho Ioseph cognominis hæres,  
 Incertus Syrijs rursus oberrat agris:  
 Hæcioque suum nunc quærit in orbe parentem,  
 Sit licet ipse puer; magnus at ille parens.  
 Quo sine, quidquid humi premitur, seges horrida spinis  
 Vulnerat; & IESVS, qui medeatur, abest.

(a) *Iacob Patriarcha Iosephum suas delicias gestiebat querere, præ desiderio, quem extinctum credebat; & tunc dominabatur Aegypto.*

### ELEGIA XXVII.

Iosephus queritur Puerum, uti hinnulum,  
 elapsum suo gremio; & inde  
 suos dolores exprimit.

1. *Iosephus enarrat Puerum, uti hinnulum, ab se fugere.*
2. *Dolores suos explicat Puer.*
3. *Optat, si non ipse, saltens umbra redeat; uti Ezechia.*
4. *Sin autem, coram se sistat.*

**T**ransfuga securo sic euolat hinnus a sylo?  
 Sic me, sic placidum fraudat an ergo sinum?  
 Semper erat Deus ille mihi, Deus ille Puellus,  
 Mascula cui castis confecro thura focis.  
 Ille Puer quoties his sedit dulce lacertis  
 Ponderis! & augustum tunc mihi nomen erat.

Ille queat fidâ nexus abrumperè dextrâ?  
 Abrupit, profugos quâ rapit aura pedes.  
 Sic mihi sancte Puer, caræ sic æqua parenti  
 Facta ligas, pactis nec tamen vlla fides?  
 Sin tibi sancta fides; fidei qui præmia nescis?  
 Nunquid amat, quisquis frustrat amantis opem?  
 Memiserum! quantis dolor, ah! dolor ignibus vrit!  
 Ille rapit noctes, & rapit ille dies.  
 Viderit hos IESVS (quid non videt ille) labores,  
 Immemori Ioseph excidit ergo sinu?  
 Spinea si quouis horrent sata vulnera sulco,  
 Pæoniis hinc nullo cur viret herba solo?  
 Pæonijs medicos succos sed vt exprimat herbis  
 Ipsa salus, Iesse flos satis vnus erit.  
 Quamlibet immensum pueri sinus occupet orbem,  
 Me tamen excludit, cui breuis vmbra forem.  
 Tunc dixi lacrymans: me, me, sic damnat IESVS;  
 Quo sine fio cinis? quò meus ignis abis?  
 Quot premis ignotis vestigia tristia terris;  
 Imprimis heu! animo tela tot inde meo.  
 Dic, precor, ecquid amat, si non Puer ille Parentem,  
 Ambient, & ardet amans, inque Parente virum?  
 Qui pia sit Gnato, pia sit tutela Parenti,  
 Ergo mihi nolis reddere gratus opem?  
 Si curis sic prima meis sis cura tot annos:  
 Vltimus his curis sit quoque fructus Amor.  
 Hinc tot vota, viæque, ærumnosique labores;  
 Vt, modo quæ ferrem, præmia ferre vetes?  
 Quis scit an ipsa latus propior quæ radit IESV;  
 Muta licet, Verbum docta sit vmbra loqui.  
 Siqua tamen concors hæres comes vmbra, sed infans;  
 Proxima iam Verbo disce diserta loqui.  
 Eia, breui nunc vmbra sono, precor, innue Verbum.  
 Omnis at vmbra siles: vlla nec aura sonat.  
 Vmbra vale: malim reuehat rota læta Tonaptem;  
 Tum dicam rapidos sol mihi sittat equos.  
 Si Phaërontiadas medio sol axe quadrigas  
 Naniadæ imperio, dum ciet arma, stitit: (a)

Marej



Mater ut ad longas spectet, quem perdidit, horas.  
 Id sol obsequium denuò ferre neget?  
 Non ego Naniades, fateor; sed nescio, magno  
 Naniadæ si non sit mihi maior honos.

(2.) Iosue filius Nan, sine Naue, ubi ad Gabaon pugnat contra Chananeos, iussit solem tantisper stare, donec planè hostes fudisset.

## ELEGIA XXVIII.

### Amoris venatio.

1. Amor Puerum, seu hinnulum venatur.
2. Varios affectus, seu canes viaticos excitat.
3. B. Virgo queritur irritum laborem impendi.

**M**œsta sonant igitur raucis iam cornua campis:  
 Luctificis concors sylva remugit agris.  
 Spesque, Timorque, Pudorque, Audacia mista timori  
 Præcipitant volucrem, quæ vocat aura, fugam.  
 Haud potis æratas canis vlla tenere catenas:  
 Abrumpit rapido vincla, morasque pede.  
 Nec minus arripedem rapido traho turbine cursum  
 Ocyor orbandâ tigride cura ruit.  
 Nempe mihi vires, & viribus additus ardor;  
 Quem gelidis niuibus, nec mare vincat aquis.  
 Magnanimus comes asper enim labor vrget amorem;  
 Quo sine quisquis amat, nescit amore frui.  
 Excursionem nemo omne, cauæ genus omne latebræ,  
 Quæ tigris erumpit, vel leo toruus adit.  
 Ipse leo, si virgo iubes, nouus ibo Leoni,  
 Iusseris: immani tigridi tigris ero.  
 Nil fera parua lepus iuvat: ire per arma leonum  
 Est labor; is fori pectore dignus honos.  
 Quippe piuin vis nulla, metusque absterret Amorem;  
 Ipse, vel vnde cadam, suggerit arma timor.

Quamlibet

Quamlibet horrendâ fletat caligine saltus  
 Saltus erit talis area nuda meis.  
 Aurea quæ gravidâ depromo tela pharetrâ,  
 Sol credo radijs induet illa suis.  
 Lux ut aberrantem deprendat, & arguat hinnum  
 Seu caua saxa regunt, seu via cæca tenet.  
 Spicula tum mittam diræ nil conscia noxæ;  
 Qui dabit hîc mucro vulnus, is addet opem.  
 Adspicis hunc, rapido qui præuolat impete pernix  
 Hinnuleum, rapidis quem timor urget equis  
 En, illum volucris defigo protinus ictu:  
 Nullus at innocuo vulnere sanguis iit:  
 Sic & ego vario palantem calle puellum  
 Urgebo iaculis; nec dolor ullus edet.  
 Sic ait; atque sibi plumosas vellicat alas,  
 Et iaculis pennas adijcit inde suis.  
 Inde loci properans, vocat agmina conscia voti  
 Sæpè sui, & clamat: quâ licet, ite canes.  
 Quâ licet, ite canes: quot Amor sub principe curâ  
 Dux regit affectus; crede tot ire canes.  
 Quâ licet, ite canes: labor vltimus urget; anhele  
 Pectore præcipites, quâ licet, ite canes.  
 Sed sit ut in campis, vario via didita flexu,  
 Currite: currendo sæpè paratur Amor.  
 Forsan ad hoc nomen tam dulce, recurreret aberrans  
 Hinnulus in gremium cerua beata tuum.  
 Nunc & ager, teneris modò sæpè quòd egerat annis.  
 Hinnulus, ut ceruæ sit comes vsque suæ.  
 Sed nusquam lateri, latus atterit ille parentis.  
 Ah! fugit, ac fugiens Parthica tela iacit,  
 Siue graues stimulos sub pectore linquit amantis:  
 Quales verna perens arua relinquit apis.  
 Si quid enim dulci felix amor occupat vsu,  
 Hoc perit, hinc læso gliscit amore dolor.

ELEGIA

G  
 sper  
 at.  
 endi.  
 : 1  
 ri  
 5  
 11  
 iber

ELEGIA XXIX.  
Noctem infomnem ducit  
B. Virgo.

1. *Stellas interrogat, nuncubi Puerum spectant.*
2. *Luna respondet sibi nusquam visum puerum.*
3. *Sol tandem adserit agere Ierosolymæ.*

**N**ox subit, & tacitos vigil euocat Hesperus ignes,  
 Ac niueis pernox Luna recurrit equis.  
 Iam placidum suadent tranquilla silentia somnum;  
 Dum silet omne pecus, dum silet omnis auis.  
 Nulla graui sed cura silet sub corde parentis  
 Nox erit in tristis peruigilanda moras.  
 Accliuo sedet ergo solo s quo sedit, ab ipso  
 Gramine, gramineum substruit arte torum.  
 Inde uerecundis laxans sua uerba querelis,  
 Nescio quos dubio uersat in ore sonos.  
 Tandem suspiciens tacito labentia cælo  
 Sidera; perspicuas ætheris ire faces,  
 Dicite, stens dixit; (nam uos lux conscia) stellæ?  
 Nuncubi de puero nuncia certa meo?  
 Hæc ego mater ouans, illo quæ pauit alumnum  
 Vbere, (quale suat Virgine matre) Deum,  
 Vos equidem uidi festos (meminisse potestis)  
 Ad Bethlen hilari ducere nocte choros.  
 Quin etiam fulsit lux clarior omnibus astris;  
 Cynthiaque est albis ocyus orta rotis.  
 O ego tum felix, pleno dum candida uultu  
 Lustrauit rutili culmina dia specus!  
 Torus & in tenues æther descendit aristas,  
 Magnus ubi tenero uagijt ore puer!  
 Visa mihi tum Bethla nouum de Numine cælesti  
 Fulgere cælestes hic tot ière chori.  
 Conscia quam ueri tua uox tunc, Angele, dixi  
 Naper erat! tantum quo modo ducor decus!

Nascenti

Nasceni Pueri tot si nox gaudia fudit :  
 Nunc vbi iam natum quaero, negabit opem ?  
 Pleiadesque, Hyadesque, quibus fuit imbrifer humor,  
 Dicite, vel lacrymis par liquor ite meis.  
 Manaliq̄ue Vrsa, polo cui peruigil excubat ignis,  
 Dic vbi nocturno iam latet orbe Puer ?  
 Me fugit hoc, stellas quis velit habere magistras,  
 Pernox queis oculus, cum mare lustrat humum ?  
 Cui sic siderea Regina decora chorea  
 Visa loqui, radijs si tamen apta loqui est :  
 Nil nocti, & Pueri : qui cum sit clarior ipso  
 Sole, putas illum nox queat atra pati ?  
 Hæc ita, mœsta Parens quas iam diuertet in oras ?  
 Certa fides soli est : experiamur ait.  
 Dic pater Heliadum, quo non sit certior index,  
 Indicio Gnatum, fac sequar, oro tuo :  
 Perspicuis siquidem lustras vigil omnia flammis,  
 Quæque per alta patent, quæque per ima iacent,  
 Ut quid agas noris : si nescis, quarimus illum,  
 Quo sine lux Soli nulla, nec vllus honos.  
 Nunc age, dic Titan, (frustrâ Titanida Lunam  
 Consului) gressum quo rulit orbe Puer ?  
 Is semper mihi primus amor, semperque voluptas  
 Ultima ; quo semper sospite, sospes ero.  
 Quem modo si reperis, geminos seruabis in vno  
 In Pueri certe non nisi viuo meo.  
 Si cado : posco meos æternum viuat ut annos.  
 Optima pars vitæ viuat ut ipse mea.  
 Sol quid ad hæc ? roseis emerfit pulchrior undis,  
 Purius & pulchro sparsit ab ore iubar.  
 Atque loqui radijs ( radij vim vocis habebant.)  
 Visus : iô ! felix i mea mater, ait.  
 Iam decus ille tuum Solymas Puer hæret ad aras.  
 Quis nescit, Solymâ quale det vrbe iubar ?  
 Mira loquar ; sed vera, nouis micat ignibus ignis ;  
 Scilicet arâ sacras vertit in astra faces.  
 Dixerat : & radio propiore salutat Eous  
 Virginis oras nouum sol trahit inde iubar.

H

Inde

Inde ( fide maius ) soli sol alter oriri  
 Visus, & ire nouus Virginis ore dies,  
 Et quis adhuc dubitet, gemino sub sole puellam  
 Posse latere; merum qui sit vbiq; iubar?

## ELEGIA XXX.

B. Virgini Pueri se sui delicijs fraudari  
 ingemifcenti condelet  
 Ioseph.

VOX IOSEPHI  
 AD VIRGINE M.

**I** Am sine Mâre Puer, per saxa, per inuia curfat,  
 Deuius obscuris ergo viator agris?  
 Et sine prole Parens incertis turbida votis,  
 Ter cum sole redux horrida lustra secat?  
 Et bis agens trepidas somni sine munere noctes,  
 Mille per amfractus, nubila cura redit?  
 Quò vaga Virgo ruis, tugurî cui limen, & ara,  
 Quam Solymæ lustras, vltimus orbis erant?  
 Et iam nulla ruis innectens vincula curis,  
 Protrahis immensi triste doloris iter?  
 Vt chalybem tacitâ magnes trahit arte, sequacem  
 Iris aquam, paleas succina, ramus ouem:  
 Sic & Matris amor rapit in sua vincula Gnatum,  
 Sed fugit auersis, ceu foret hostis, equis,  
 Hæccine summa tuis florescit adorea curis;  
 Si nequeas fructu cœlite Virgo frui?  
 Si qua Parens decimæ tulerit fastidia lunæ;  
 Ante suos ludit pumila turba pedes,  
 At puero ludus, tibi non nisi nescia ludi  
 Cura, vel è curis hinc timor, inde dolor.

Et gemis;

Et gemis ; & nescis, matrem cur vitat alumnus :  
 Ut quid enim ? pueri lusus id, ane dolus ?  
 Terror, an ira, piæue recens offensa Parentis ?  
 Absit, abest crimen Virgine: Paruus amat,  
 Et pia Mater amat, quem nescia quærit, amantem ;  
 Vulnificasque absens accipit inde faces,  
 Arcus abest, an adest, dubito, in noua damna parentis ;  
 Ignea tela redux cuibrat hostis Amor :  
 Tela quibus blando solem Puer vreret igne ;  
 Aut si nobilior sole quis ardor ear,  
 At nil non patiare ; ferēs vel mille pharetris  
 Spicula missa, Puer si modo præsto iacit.

ELEGIA XXXI.

B. Virgo cum suo Iosepho Puerum inuestigans , spondet illi viatori, siue pastori, qui eum indicarit, munus.

1. B. Virgo & Ioseph Puerum indagant.
2. B. Virgo petit, num quis obuium habuerit Puerum :
3. A quo, esto sit paruulus, magna dona recipiat.
4. Adferit his erumnis suam probari fidem.

**V**irgo, vir adde comes, partitur vtrimque laborē,  
 Hic Solymam, Solymos illa reuisit agros.  
 Equus vtrimque dolor ; si non in Virgine mœror  
 Acrior, in Gnato quam sua vita fugit.  
 Immemor ergo sui Virgo, teneri ue pudoris,  
 Lustrat in exasis ardua saxa iugis:

H ij

Obuia

Obuia siqua ferant oculis vestigia parui  
 Errabunda pedis, qua via cumque rapit.  
 Et sic orsa queri est; raras vox parca querelas  
 Frustrat, adhuc hincit hos tamen egra sonos:  
 Fors illum tenet umbra, nigro que secubat antro;  
 Forsitan aprico decinet herba solo:  
 Forsan & his, quos specto procul, sub montibus errat,  
 Forsitan & valles, & iuga sola terit.  
 Quis scit an hæc deserta peruenit, & quibus olim  
 Suceerat Elias, Sinica resqua subit.  
 Fortè peregrino quod si quis in orbe viator,  
 Seu vir, siue nuptus par quoque tendat iter:  
 Vos ait o si cura mei est, Puer obuius vsquam  
 Si steterit, Pueri dicite, mater vbi est?  
 Mater vbi est? facili que manu contingue dextram;  
 Et facilem comiti iunget vtrique manum.  
 Obuius adsurget illi chorus omnis Amorum:  
 Ecce rerique alis Dux iter ille suis.  
 At Puer hic parvus, quid tum? sua copia paruo  
 Non deerit, magnas quo minus addat opes.  
 Faruus onyx, paruisque adamas, paruisque pyropus,  
 Grande tamen rari muneris instar habet.  
 Quia & apis non magna fauos, paruisque racemus  
 Nectar alit: paruis gratia rebus inest.  
 Festiui Pueri quem non inuitat amorem  
 Gratia, quæ gratus quisquis amatus, amat?  
 Videris haud dubium tu, quisquis es ille, viator;  
 Vtrò sequere, simul te volet vtrò sequi.  
 Pacatum regit ille suis sub legibus orbem;  
 Maxima cui paruo pectore cura sedet.  
 Nunc agetum mihi, quaeso, pium modò que re Puellū:  
 Quæsito ab Pueri præmia magna manent.  
 Non procul inuenies, quid non speremus amantes?  
 Quis scit, & hoc nescit Dux sit an ille tuus?  
 Dux certe meus iuit heri Puer omnibus aruis:  
 At hodie nullo stat comes illé solo.  
 Siccine, qui Solymâ radias iubar altius arâ,  
 Absistas sociâ, lux mea Gaare, manu?

Nec meus

Nec meus esse velis, rot adhuc fallentibus horis?  
 Qui tam lentus abes, quo sine vita perit,  
 Dum modò sint horæ longi duo sæcula luctus,  
 Quæ parit amisso nubila sole dies?  
 Iam scio quid sit Amor: daris in coribus alas  
 Atterit, vt fugiat, nec reuolare queat,  
 Cur adijt Solymas supplex ad Numinis aras,  
 Numen vt hîc perdat, dum redit, orba Parens?  
 Hæcine sancta fides, pietas si fallat amantes?  
 Quod pia sim, me cur impia damna grauant?  
 Impia si sint damna, meis, quæ sanctus alumnus  
 Imperat, est damnis experienda fides.  
 Experiare licet, mi Paruule, Matris Amorem,  
 Crescit ab ærumnis, quem dolor vrget, Amor.     ”  
 Quid moror ergò? moras Amor igneus odit & horas:     ”  
 Quicquid agit, puncto prouinùs vrget agi.     ”  
 En, properat; nec plura: inuat labor asper. IESVM     ”  
 Qui sequitur, nescit triste laboris onus.     ”

H iij.

ELEGIA



## ELEGIA XXXII.

B. Virgo viatores de Puerō  
interrogat.

1. *Viatores de suo Puerō interrogat.*
2. *Describit eius pulchritudinem.*
3. *Suum in vestigando studium exprimit.*
4. *Vanum tamen laborem accusat.*

**N** Vlla tot emensis cui meta stat vltima campis,  
 Lassa sub hac palmā debile flecto latus.  
 Arque viam propter, puluis quā plurimus vndat,  
 Aduenaque in spisso puluere spissus adit;  
 Vos precor, eia viri, Solymus quos euocat ignis,  
 Dicite, lux Gnati nuncubi visa mei est?  
 Vosque nurus Syriae, Sidoniadesque puellae,  
 Dicite; vos Pueri nuncubi tangat amor.  
 Tangat amor (voueo) profugi, quem venor, Alumni:  
 Dulcior haud vllus fructus amoris erit.  
 Mox illi roseas portas Aurora recludet;  
 Viderit vt casto surgere manē toto.  
 Aureaque astrigerum pratexet vespera velum;  
 Viderit vt somno lumina fessa premi.  
 Quid Pueri roseas auras, radiosue decoros  
 Enumerem? numero ceditis astra meo.  
 Quā secumque tulit; flos pulchrior omnis & arbor  
 Emicat, & pictis ridet amæna comis.  
 Lux tamen hæc tam clara latet. quis crederet vmbra?  
 Qui prius his oculis sol, modò nimbus erit.  
 Nunquid & est Puerō fraus, cui mens nescia fraudis?  
 Quidquid id est; Matris gaudia fraudat Amor.  
 Ludus Amor Gnato, quo non sit pulchrior alter;  
 Qui nunc sit superum forte remensus iter,

Aut alit Hesperios, alio vel in orbe Britannos,  
 Vt bibat è Tamesi, diuite siue Tago.  
 Sic licet ætherias petat, vt Iouis armiger, oras,  
 Aut terat ignotum solus, vt agnus, iter:  
 Mæsta ramen scopulos volucris super emico cursu,  
 Quæque rigent densis hirta fruteta rubis.  
 Hæc ego de speculâ turres contemplor & arces,  
 Quæque parent Syrijs diuisa regna plagis.  
 Et sicunde Puer varijs occurrit in agris,  
 Illicet hunc IESVM suspicor esse meum:  
 Aut mihi de tenero qui nunciet omen IESV,  
 Aut memor huc saltem nuncia verba ferat.  
 Inde cauis procurro vijs, & compita scindo;  
 Rursus inexpertas sedula lustro plagas.  
 Pulueræ nubis si quis globus errat arenis;  
 Aduena fors Pueri de pede puluis adest.  
 Si Zephyrus dubias quid lene susurrat ad aures,  
 Nunciat hic IESVM forsan adesse meum.  
 Et volucris folium si mobile palpitât aurâ;  
 Dico gemeas: denso fortè later folio.  
 Denique si qua breues arctant vestigia sulcos;  
 Has memores IESV suspicor ire notas.  
 Omnibus in rebus sic auguror omnia vota.  
 Omnibus at votis lugubre capto nihil.  
 Quò magè promta sequor, minus adsequor orba Puellû.  
 Et magè me perdo, quo magè quæro Deum.  
 Nec tot adhuc reuocatur amans Puer ille querelis,  
 Quem mare, quem tellus, quem tenet æthra suum.  
 Heu! malè nunc pietas artes exercet amoris;  
 Ars si nulla Deum corde, manuë capit,  
 Qua capiam nunc arte, capi si corde Parentis  
 Abnuat; vnde sibi retia texit Amor?  
 Hic quæ vena trahit venam, fibra plurima fibram:  
 Dic pia fila, quibus construat arte plagas.  
 Quo si corde capi velit, vt sacra præda parenti;  
 Viuet ad hanc prædam bis sibi salua parens.  
 Nec poterit, ( mors frange tuos, iam vinceris, arcus.)  
 Dixit Amor, vitæ vita secunda mori.

H iij

ERo

120

Esto vel extremo lethi de frigore vultus

Falleat : his gliscet ignea vena fibris.

Nam fata vita Deo nullis obnoxia damnis:

Post animam hoc animus corde superstes erit.

Vnde vel egelidis mors cede sepulta fauillis;

Vira sub exsanguis posthuma corde salit.

Nec valet his animæ vis ignea cedere venis:

Queis Puer hæret amans, cederet exsul amor?

Attamen his oculis cessit, qui cedere fibris

Nescit, adest semper, qui mihi semper abest.

LIBER

## LIBER TERTIVS,

S I V E

## TERTIVS DIES,

quo Puer repertus in templo.

## ELEGIA PRIMA.

Varia explicat desideria.

1. Longiorem absentis Pueri moram vix sustinet.
2. Vt varius anni est cursus, sic optat par se Pueri ad se recursus.
3. Vt Sunamitis ab Elizeo Puerum recepit extinctum;
4. Ita se solatur Pueri recipiendi incundâ memoriâ.

Tertius auratis Pyroëtra retorfit habenis  
 Phœbus, ab Eoo lux rediuiua mari;  
 Et mihi tristis adhuc atris nox incubat alis;  
 Nox, cui non radius, stella nec vlla micat.  
 Quas non lustris vias? queis non iter explico campis?  
 Nec datur ah meram tangere posse meam!  
 Vt quid adhuc duris illuitor fracta salebris,  
 Quæque Puer pressit, rursus & arua premo?  
 Puluereo sonipes celer vt rapit impete campum;  
 Turbida sic varijs cura recursat agris.  
 Si spicis alis murum nox implicat orbem;  
 Me coquit hesternâ cura diurna face.

H v

Sic tce

Sin terram violis sol comit amarus & auro,  
 Orta dies luctus Hesperus ater erit.  
 Si ver, æstus, hiems, autumnus oberrat in orbem,  
 Versicolorque novas temperat hora vices;  
 Cur & non itidem par ordo recurrit amoris?  
 Et variant luctus gaudia mista meos?  
 Hoc gremio quam dulce meus modo pondus alumnus!  
 Quam bene securâ crevit & ille domo!  
 Hospitio Puer hoc felix! felicior isto  
 Hospite Virgo Parens gaudia quanta bibit!  
 Ut vox vna beat, sic altera fallit amantem;  
 Delicium sed iam non magis, Gnate, meum es.  
 Te per ego, pietas tibi siqua superstes, & ardor  
 Pristinus, ac matris gratia siqua manet:  
 At manet, æternumque manebit, & vret uti sol,  
 Qui semel hinc hæsit, semper inhæret amor.  
 Non alius quam Matris amor res nescia vincit,  
 Qui magis sit fidus, quam foret ipsa fides.  
 Tu tener expertus quam molle cubile Parentis  
 Sit sinus; in molli Parue recumbe sinu.  
 Sed fugis, & (mirum!) fuga pugnat inermis amanti,  
 Quot matri profugo de pede tela iacis!  
 Dulce caput Puerum, nullus quo pulchrior ardor,  
 Sustineam sicco lumine dura rapi?  
 Sollicitum cervos animal, sine viribus agmen,  
 Ut pernix agili veles adurget equo;  
 Et latus aratis transfigit inermis sagittis:  
 Præpete sic iaculo cor ferit acer Amor.  
 Cui caput æstivo mors icerat ignea telo,  
 Ut gemit Gnatum Mater amara mori;  
 Ludentem gremio reperit Sunamitis alumnus: (a)  
 Mi fuga quem rapuit, sed queror vsque rapi.  
 Non vatis mihi posco preces, qui vate sed omni  
 Maior, ut hæc sese sistat op ora, precor.  
 Sic vbi se sistet Puer, altera vita parentis  
 Influet in venas, mors quibus atra subest.  
 Si tamen haud sistat, redeunt in corda sagittæ,  
 Et fugit è venis anxia vita meis.

Heu ! an adhuc anras vacuis implebo querelis ,  
 Et rapiant cassas flamina surda preces ?  
 Rursus inexhausto rurescent lumina fletu,  
 Et Iordan lacrymis crescat ut ante meis ?  
 Ut quid adhuc sine prole parens, sine germine ramus,  
 Flebit in ærumnas Mater itura suas ?  
 Sic ubi semineci separ à corpore Gnati  
 Corpus abest, saltem corporis umbra redi,  
 Est aliquod viduo tandem solamen amori,  
 Spes ubi rapta, memor si sit imago spei.

(a) *Sunamitis mulier ab Elizeo, quem hosp-  
 itio accipere consueverat, filium suum rediitum  
 recepit.*

## ELEGIA II.

1. *Gratissimum sibi filium Virgo requirit  
absentem.*
2. *Ideo dolet eum emanere.*
3. *Inuitat celerem ad reditum.*
4. *Incundâ è suo partu gaudij memoriâ re-  
uocat.*

Q Ve mihi prima sterit nascenti gratia Christo,  
 Heu ! fuga iam nato vota suprema rapit.  
 Quod placeat nihil est, raprum nisi reddat alumnus :  
 Hic ubi raptus abest, dona quis vlla legat ?  
 Ecquid amans teneat, quem non tener ardor IESV ?  
 Quod Pueri pulchro gratius ore decus ?  
 Sol equidem gratus, roseo qui floret in ortu ;  
 Grata simul castis æmula luna rosis :  
 Et rosa grata, rubris quæ ridet amæna labellis,  
 Grata ligustra tudem vincere nata niuem ;  
 Gratus ager, viridante seges cui fluctuat vndâ ;  
 Grata viret Syrio cedrus adulta iugo :

Fons

Fons gratus, vitreis qui ludit, & errat in umbris,  
 Grata, super fontem quæ canit, Attis avis:  
 Gratus apî, viuo flos qui pubescit in horto,  
 Gratus & impastæ rosæ maris almus oui:  
 Gratus & hinnuleus fœtæ per opaca parenti,  
 Nec minus ipsa suæ gratâ capella capræ;  
 Grata columba, suæ cui concolor ala parenti est.  
 Grata sibi quærit pignora, quisquis amat.  
 Gratioꝝ ipse suæ Puer omnis at artha parenti est:  
 Haud scio, si cuiquam gratioꝝ vllus amor.  
 Quem Pueri tenero nil gratia tangat in æuo?  
 Et talis Pueri, cui sine labe parens?  
 Sed fugit, & fugit vsque piam sine more Parentem.  
 Hei mihi! quæ stringat vincula, rumpit Amor.  
 Haud equidem memini, Puerum per deua quæri,  
 Hic vbi multa parens cinxit vtrîmque latus.  
 Quæque nurus reducem dextrâ deduxit alumnum,  
 Quisque suas pastor nocte reducit oues.  
 Hinnuleum sua cerna, rudem læa fœta leonem,  
 Se dace, consuetas suadet adire domos.  
 Mille vides errare meos his collibus agnos,  
 Pastor ait: solus sed meus agnus abest.  
 Vivite felices, quæis fors tam læta, parentes:  
 Non ego sic, toto cui perit orbe Puer.  
 Si tamen ille perit patrijs Puer exsul ab oris,  
 Solis vtrâque domo qui sua regna colit.  
 At perit ille, grauis mihi nunc dolor, ante voluptas;  
 Nec properat medicas applicuisse manus.  
 O quoties letho, sæuisque obnoxia curis,  
 Sancte veni, dixi: nec tamen ille venit.  
 At maule medijs paradisi errare, vel vrsis,  
 Quam sua virgineo claudere vora sinu.  
 O quanto satiùs materno querat asylum  
 In gremio, & Matris pendeat ore Puer!  
 Cui prius expressi grauidis lac prouida venis,  
 Fas sit vt Hinnuleo Cerua beata fruar!  
 Hinnuleum sibi cerua parit sine labe, nec vllas  
 Delicias felix inde regustat amor.

Irgone Virgo parens aeterni gaudia Verbi  
 Gignit, ut hinc discat nil nisi posse queri?  
 Ut memini (memori quod sol non eximet auro)  
 Quot dedit Augusto praemia Bethla specu;  
 Tum mihi cor tristi dolor acrior effodit aetro:  
 Quae gaudi, hae eadem norma doloris erit.

### ELEGIA III.

B. Virgo visa suauiter queri, & non  
 queri de absente Puer.

1. Miratur abs se Puerum abisse.
2. Monet Puerum de periculis suis.
3. Spondet abs se tutelam suo filio.

**A** Virea pacato ridebant sidera caelo,  
 Et secura meo gaudia clausa fini.  
 Sic equidem rebar, mihi dum comes haesit IESVS;  
 Illic nox oculos opprimit orba meos.  
 Nullibi spectro pium (nubes pro quanta!) Puellum.  
 Hei mihi! stat tristi nube sepulta dies.  
 Curro, recurro, viasque vijs intexo; nec usquam  
 Pareat, inexpertum qua sero cumque gradum.  
 Adsit amans; hoc opto gemens, sed ut hinc orbis  
 Matre fugit, nostro sic fugit ille sinu.  
 Nunquid amat fugiens vidui diuortia fontis  
 Riuis, an vltro lacer Matre virente cadit?  
 Nunquid ab ipse suo radius se praesecat astro?  
 Vitat odora suum mellis alumna fauum?  
 Nunquid & absistit tener agnus, & vbera fallit;  
 Quarat ut ardentem in sua damna lupos?  
 Ecqua, precor, blandam fugit vltro columba parentem,  
 Mitius infesto dum premit yngue fugam?  
 Quin etiam torua nec abhorret asylon alumnae  
 Ipse leo, cui sit fata leaena salus.  
 Et tener, imbellisque fugis, mi Gnae, Parencem,  
 Praeda nimis sauis insidianda feris?

Sis me!



Sis memor, vt quondam Bethlemidas inter aristas  
 Tristis Idumæis sæuijt Vrfa iugis.  
 Non furor Herodis sat cædibus imbuit enses ?  
 Millibus è multis victima & ipse cades ?  
 Forfan adhuc prisce superat noua flamma furoris,  
 Quam foueat Solymo vna fauilla foco ?  
 Candida quâ pieras æternos educat ignes,  
 Ara tibi iuges pascat & ita faces ?  
 Impius insontem sibi quo furor immolet agnum ?  
 Pascit auernales ira Megæra focos.  
 Pœnè suum Ioseph frater si dedit orco,  
 Ecquid ager Solymis qui leo sæuit agris ?  
 His errabat agris, queis tu modo forsitan erras,  
 Forfan & errantem qui premar, hostis eris.  
 Ast ego te quouis malim defendere telo,  
 Quique vir hâc consors sit mihi, quæque nurus.  
 Ferre per extremos populos, te ferre per æquor  
 Non labor vllus erit, nec graue Matris onus.  
 Dirus Idumæis pardus dum sæuijt oris,  
 Hærebas gremio sarcina blanda meo :  
 Serpebasque cauis per colla, per vbera palmis ;  
 Tum fuga dulce decus, non fuga ludus erat.  
 Me dube te Pharijs timor vt stitit aduena campis,  
 Sic mihi suadet amor rursus adire Pharon.  
 Sæ dedit hoc olim duro pia cura timori,  
 Abnegat id, blandus quod modo suadet amor ?

## ELEGIA IV.

Bethlemij gaudia recenset, nec vllum  
 in quærendo Puerò defugit  
 periculum.

1. B. Virgo incertam, & fluxam mortalium sortem, & suam deplorat.
2. Bethlemij gaudia commemorat.

3. Quærit

3. *Quæuis discrimina inuadere ardet.*

4. *Varij doloris affectus.*

**Q**uam nulli securus honos, & fida voluptas,  
 Lubrica dum vitreo fors rotat orbe globum,  
 Testis ego, quis tale nefas in Matre Tonantis  
 Crederet? infido spes modò lapsa sinu est,  
 Atque illo sublapsa sinu, quo pignora vitæ  
 Hauferat, arbitrio qui regit astra suo.  
 Damna diu pressi, sed pressa silentia tandem  
 Rumpe dolo; mœstus rumpere cogit Amor,  
 An pius amisso taceat iam Nomine mœror?  
 Impia sit pietas hoc tacuisse nefas.  
 Si tamen esse nefas sinat hoc Puer ille Parenti,  
 Qui vouet è damnis gaudia sera suis.  
 Hoc ut ut est, hæc inter atrox grauat angor amantem,  
 Nunc uti nox tristi lumina nube premit.  
 At potius, mea lux, funestos discute nimbos;  
 Quæque redis, Matri pristina dona refer.  
 Vis ut Bethlemio memorem sata gaudia cælo,  
 Cœlicolumque agiles festa per astra choros?  
 Vagitusque pios teneri libasse Tonantis,  
 Lux ubi concubiâ nocte dat ire diem?  
 Flens memini, pleno quæ rustica turba canistro  
 Puniceis promptis poma marita pyris:  
 Pastores memini sacris accumbere cunis,  
 Quò vocat ignaros vox sine voce Puer.  
 Ut taceam Reges, possitis hinc inde tiaris,  
 Ad Pueri paruos procubuisse pedes:  
 Regiaque augustæ tum dona tulisse Parenti,  
 Qualia fert Indus, qualia diues Arabs.  
 Quot si virgineus meruit tot præmia partus,  
 Quid verat ab Gnato gaudia Virgo legat?  
 Aut saltem latebris quæcumque deerrat opacis,  
 Nobile sidereo carpat ab ore iubar.  
 Si, Pueri nascente, regit dux stella Sabæos,  
 Quid laret hæc, cæco dum fugit orbe Puer?

*Me neq*

Me nox densa tenet; Magus indice ducitur aastro:  
 Virgo Magi pretio num minus instar habet?  
 O, ubi præradiant Pueri duo sidera vultu,  
 Dux meus hinc geminam lampada ducat Amor?  
 Et mihi pandat iter, nec erit via longa parenti:  
 Millia mille breuis vix mihi passus erunt.  
 Non est quis metuat, me nequa pericula frangant;  
 Neue labore graui, neue timore premar.  
 Perrumpam Libani iuga quamlibet aspera saxis,  
 Me nec in astra minans terret Itabyrius.  
 Nec timeo, licet iusuetum procul ire per æquor,  
 Quaque regunt venti nescia vela, sequi.  
 Spes quacumque trahet, retrahetque, sequemur IESVM.  
 Res est imperio plena Tonantis Amor.  
 Is quo ferre iubet, fors dura ferenda periclo est;  
 Arguit in duris ferrea cura fidem.  
 Me trahit ingenius Gnati decor, & fata cælo  
 Gloria, quæque pio gaudia corde latent.  
 An potè sit vacuo gremio quod talis alumnus  
 Defluat? ante fluent astra caduca polo.  
 Sic, licet ægra, sequor, nullis tamen adsequor aruis:  
 Quaque sequor, tacito murmure sæpè queror:  
 Quo mi Gnate fugis Matrem nil tale merentem?  
 Tale quid error amans, quod mereatur, agit?  
 Error amoris erat, nec idonea noxa piaculo,  
 Credere fors comitem te mihi, siue ducem:  
 Sicut eras mediâ turbâ, quis crederet vnquam,  
 Te Puerum, & solum deuia regna sequi?  
 Nedum iusta piæ sic fallere vota Parentis,  
 Si modò fallis amans qui mihi plura voues?  
 Si mora lenta grauat, nunc & vis dura laborum,  
 Multa moræ sponder scœnora fidus Amor.  
 Intercæ dulci spes quæ defraudat amantem,  
 Tædia cruda moræ condier alma fauo.  
 Ipsa & ego profugi Gnati non immemor vsquam,  
 Signabo titulum quolibet apta loco.  
 Dulce mei siquidem nomen me lenit IESV,  
 Si minus ærumpnas leniat ipse meas.

Arbor testis erit, si nouit & arbor honorem  
 Quid dubitas? Pharijs hunc pia nouit agris. (a)  
 Mi IESV en cedris inscribo; sed opto viator  
 Non alius, Gnatus quam meus, ante legat,  
 Vel semel hac placidos IESVS aduertat ocellos;  
 Plus satis est: semper solis id instar erit.

(a) *Ea viâ quâ Christus Puer in Ægyptum fugit, arbor se Christo inclinavit; adhuc superstes sub Theodosio iuniori. Sozomenus.*

### ELEGIA V.

#### Viæ solatium Filio exoptat.

1. *B. Virgo omnes viarum molestias optat amoliri ab suo Filio.*
2. *Monet Iordanis viam aperiat:*
3. *Et ut cedrus suâ umbrâ Christum tueatur.*
4. *Affectus suos, si redeat, explicat.*

#### VOX B. VIRGINIS.

**Q**uâ miseræ longinqua trahit diuortia Matris  
 Paruulus error, pati me pede vita fugit.  
 Quercus ut hibernis luget, squalletque sub astris  
 Nuda comis; Gnato sic gemit orba Parens,  
 Attamen vnde graues curas solarer, & æstus,  
 Improba fraudat opem spes. Amor adde preces.  
 Imperium dic esse preces, quas Mater alumno  
 Lego: Puer gaudet supplice voce capi.  
 Ergo graues Gnato iam deprecor anxia casus,  
 Et, ceu mater amans, omnia dextra canam.  
 Ah! ne te Boreas, ne Sirius vrat, IESV!  
 Nec stupeant bruto lactea membra gelu,  
 Nec Domini teneras via deterat aspera plantas!  
 Nil facit ad molles glarea dura pedes.

Isacila

Ifacijs Iordan via si steter arida castris, (a)  
 Tu vaga Nympha Deo siste parumper aquas.  
 Siste, pijs equidem teor est ea gratia lymphis,  
 Ut siccum liquido sternat in amne solum.  
 Doris Erythrejs parua ne Naiadi crimen  
 Exprobret, immensum quæ scidit vltro fretum,  
 Si se Nympha pio fidit in diuortia seruo;  
 An Puerò, & Domino furda negabit iter?  
 Sin vada dedignans, tener ambiat aduena campos,  
 Siria quâ Syrios stella deurit agros;  
 Opto, cedrus densis cui nox stat frondea ramis  
 Pretexat Puerò, mitis vt umbra, caput.  
 Persea & ipsa suos quæ flexit cernua ramos, (b)  
 Dum fugeres Syrios paruulus exsul agros;  
 Fronde piâ profugum te rursus obumbret, IESV,  
 Si Pharium memori mente reuisit iter.  
 Est aliquid tenero quæri solamen Alumno:  
 Quid iuuat, hæc inter si perit ipsa Parens?  
 Iordanis pia Nympha vale, cedrique valete;  
 Omnibus his votum gratius ipsa canam.  
 Opto cauam rupem cor induat omnibus aruis,  
 Aduocet vt Verbum vocis imago suum:  
 Tum Puerum, varijs noua quem via distrahit oris,  
 Arctius appresso stringeret ore Parens:  
 Sidereisque oculis raperet noua lumina vitæ,  
 Nox intempestis quam grauat atra malis.  
 Quæ, si vel radium Gnari decerpat ocello,  
 Iris vt à pulchro sole, decora foret.  
 Quin & ab his oculis gelidas vis ignea venas  
 Influeret, queis sit viuus ignis Amor:  
 Et fugeret, mors si qua meis sedet algida fibris;  
 In mortem, Pueri lumina fulmen habent.

(a) Iordanis se diffidit Hebræis; sic & mare Rubrum.

(b) Persea arbor ostenditur in Ægypto, quæ se Puerò eò fugienti inclinavit.

ELEGIA

## ELEGIA VI.

## B. Virginis pulchritudo &amp; gratia digna reuocando Pueri.

1. Ioseph miratur B. Virginis pulchritudinem corporis, animique.
2. Miratur eius gratiã non reuocari Puerum.
3. Reddi optat Matri suas delicias.

## AD B. VIRGINEM.

**T**E cui vis æquem, nisi te tibi, Sponsa Tonantis, 1  
 Cui par pulchra nihil luna, nec orbis habet  
 Frons cui Strymonios vincat, si cerret, olores;  
 Et niueum vultus gloria vincat ebur.  
 Is color, æque colore decor, seu gratia formæ,  
 Ceu rosa sparsa mero lacte süauè rubet.  
 Vsq; adeo blandis vox liquitur vda labellis,  
 Frangeret vt teneris ferrea corda sonis,  
 Nunc Orphæa chelys sileat, sileantq; Camænx,  
 Et lyra Iessæis Iessæidumq; chori:  
 Eloquio iam victa truces tigris exuet iras,  
 Accumberq; sacro blanda læna pedi.  
 Quin etiam vox alma feras molliret Echidnas,  
 Nequa vomant tumidas sibila colla minas;  
 Sæuus & iratæ mitesceret ardor Hyænx,  
 Siqua parum tutis obuia staret agris:  
 Et quæ flexanimo non vinceret arma iusurro  
 Virgo parens Verbo, vox cui tota Charis?  
 Nec potis est tenerum pia flectere Mater Alumnum?  
 Durior in Matrem num Puer ille feris?  
 Hei mihi non equo quæ vox elapsa palato est!  
 Hic Puer vt Matrem quid nisi blandus amet!  
 Nil tamen oris honos hunc flectit, quique Parentis  
 Interius vitreo floret in ore pudor:  
 Non tot irem steriles lacrymabilis aura querele,  
 Nec lacrymæ, & gemitus, ac sine fruge preces.

l ij

Mollibus

Mollibus ah! tristes simul hausit vt auribus auras,  
 Aggemit hos similes, vt reor, vrsa modos;  
 Cerua suis syluis hos narrat & ægra dolores,  
 Et gemitus mutis dama renarrat agris:  
 Et memor in solâ turtur par ruminat vltimo,  
 MARIÆ vbi flentis discit ab ore queri,  
 Et lacrymas duris Puer e minus auribus haurit,  
 Quas Genitrix malit cominus ore legi.  
 Cur non ô tandem tot post discrimina rerum,  
 Torque pererratis tedia longa plagis,  
 Amissum reperit sat perdita Mater Alumnum?  
 Nec Puer vltro pium defluit in gremium?  
 Jamque Parens rapido non aduolat ocyor astro,  
 Et redit ad Solem Luna beanda suum?  
 Si refugas prono sol orbe retorfit habenas  
 Iesseidæ cui mors stabat inante torum;  
 Vitalemque redux decimo tulit ordine lucem  
 Umbra parens vitæ, quæ sit imago necis:  
 Et quid ni reuehat solis sol ipse salutem  
 Iesseidæ Matri, flos vbi Iesse fugit?  
 Quod dedit equus auo, Puer abnuat ergo Parenti?  
 Imò sibi Puero pars bona Mater inest.

## ELEGIA VII.

B. Virginis Puerum quærendi ardor, &  
perpetuus in absentem amor.

1. B. Virgo miratur tertium iam diem abesse suum  
I E S V M.
2. Affectus suos in quærendi studio occupari enarrat.
3. Inuitat stellam, quæ Magos duxit, vt sibi sit via  
dux ad I E S V M.

## VOX B. VIRGINIS.

**M**iror adhuc nullis iubar irradiare latebris,  
 Hic vbi lux I E S V S obuia semper adest.

Qui

Qui potis est cæco sua lumina reddere mundo,  
 Cur negat obscuro sol nouus ire solo?  
 Virgo licet, iam mater ero fœcunda dolorum,  
 Parue, mihi durâ quos seris vsque manu,  
 Huc roseo tandem cum sole recurre nouus Sol:  
 Ni facis, æternæ sæcula noctis agam.  
 Terria, cerne, redit lentos paritura dolores,  
 Quos dedit hesternò sole bis orba dies:  
 Nec redit Auroræ flos ille venustus I E S V S;  
 Hinc oculis rorat plurima lymphæ meis.  
 Sed quid adhuc rorat, si nulla renâscitur Eos;  
 Nec ros hic hilari gaudia luce pluit?  
 Quid iuuat innumeras semper reparare querelas,  
 Qui semel has vnâ vincere voce potes?  
 O quas mæsta preces, ô quæ suspiria duxi,  
 Dum voco palantem surda per arua Deum!  
 Nec tamen ah! miseræ Puer annuit æquus amanti,  
 Cuius Amor Puerò vult fugiente mori.  
 Cur morieretur Amor qui viuida vena salutis?  
 Vita mori propera, cor modò sospes amet.  
 Hoc vt agam, patriosue lares Solymosue reuisam;  
 Non I E S V M Solymi, lar nec auitus habet.  
 Spesque, metusque, dolorque; & amor mihi pugna, pudorque;  
 Virginis hoc vno pectore bella cient,  
 Spes animat, timor vrget, amor flagrat, opprimit angor:  
 Quas dat amor vires, mors ab amore rapit.  
 Sic vbi tum varijs depugnat saucia curis,  
 Nescia mens votis statque, caditque suis.  
 Vt quid adhuc numero surgentes æquore soles,  
 Terque nouâ lunas isse redisse rotâ?  
 Nunc age, Dux sidus prælustri nascere cœlo,  
 Nascenti Puerò læta quod hora tulit.  
 Præuia stella pios face si regat indice Reges,  
 Reginæ Superûm par dare nolit iter?  
 Sed breue quid parco mendico ab sidere lumen,  
 Cui datur immenso sole perennè frui?  
 Nonne meis oculis lux quæ procul emicat absens,  
 Hæc eadem nostro pectore clausa micat?



Orba queror Puerō, Puerum tamen omnibus horis  
 Spectat, inextincta: lucis alumnus, Amor.  
 Nescit enim spatio dirimi, qui iungit vbiuis  
 Omnia; quo præsens, qui tamen absit, amet.

## ELEGIA VIII.

Dolor B. Virginem incurfat; Timor  
 angit: denique Amor adfert  
 solatium.

1. Aurora & vesper Virginis curas renouant.
2. Nescit vbinam gentium agat Puer.
3. Spe, metuque animum versat suum.
4. Amor anxiam solatur.

**F** Allor? an aure lego, quas Virgo dat egra querelas?  
 Lugubre quid syluis sic mihi visâ loqui est:  
 Seu rubeat Phœbus, Phœbe seu palleat ortu  
 Discolor, incertâ speque, metuque trabor.  
 Sol roseâ de nube diem promittit amœnum;  
 Pallida sed tristes luna minatur aquas.  
 Sic vbi fin felix vesper fors cernat IESVM,  
 Hæc oculis pernox stella sit opto meis.  
 Altera sed seros ignes accendit Olympo  
 Vespera, nec noitrum spectat amica iubar.  
 Quas sequar ergo vias, cæcis deprensa sub vmbriis?  
 Nulla breui cerno de pede signa pedis.  
 Spesque ignara meis iter cepit vndique curis,  
 Deuius ignoto quas trahit orbe labor.  
 Pes mihi curre celer, caua quò vocat orbita cursum:  
 Vix sed vbi cœpit currere, sisto gradum.  
 Nescio quò Zephyri leuis abripit ala Puellum;  
 Quoue Puer cæcum calle reterxit iter.  
 Fortè fluentifono breuis hospes aderrat Oronti:  
 Fortè tenet sicco sole pèrustus Arabs.

Idque

Idque vbi dumosis horrent iuga confraga saxis,  
 Mosis & Eliæ triste secutus iter,  
 Forlan inaccessis scopulis luctatur Idumes ;  
 Fors & Itabyrij transsilit alta iugi.  
 Quis scit an is Tyrio de littore soluerit oram,  
 Et liquidum fragili sub trabe sulcet iter ?  
 Sed quid inexpertis credat se Puffio ventis ?  
 Credo suburbano ludit, & errat agro.  
 Hic quot odora cauis vestigia pressit arenis,  
 Pes tot humi sculpsit æmula signa pedis.  
 Ergo celer venabor, odor quæ ducet eantem ;  
 Nare sagax auras captat, & haurit Amor.  
 Curso, recurso, viasque vijs intexo ; nec vsquam  
 Vlla mei Gnati signa, nec vllus odor.  
 Quis scit inadspectis caput abdat an ille latebris,  
 Intempestiuâ sol vbi nocte filet ?  
 Ni pia fortè sinu ficus nunc rursus opaco (a)  
 Condat, vti Phario condidit antè solo ;  
 Malo meo tamen in gremio sibi quærat asylum :  
 Hoc gremium tenero digna sit ara Deo,  
 Præcoce sui Gnatum mors opprimat impia telo,  
 Par simul in Gnato victima Virgo cadat.  
 Sic gemit illacrymans, medijs deprensa frutetis :  
 Fleuerunt comites ; si tamen vlla comes.  
 Imperat hoc læui casus timor augur in atrâ  
 Stans tunicâ, & tristes fundere cogit aquas,  
 Cernis, vt alternis cedrus hæc tremit anxia ventis ?  
 Sic labat incertis nescia Virgo modis.  
 Iamque rogar quercum, si quis sit in ilice sensus,  
 Num I. E. S. V. M. folijs celet opaca suis.  
 Ah ! quid agit, Matris si spem frustratur asumnus ?  
 Quam perit ab Gnato, num dabit arbor opem ?  
 Sic dubio cor mœsta Parens alternat in æstu ;  
 Spemque metus vincit, spesque animosa merum.  
 Ecquid, Amor, censes gaudi sator, atque doloris ?  
 Maius vter, librâ Iudice, pondus habet ?  
 Pleraque pars abiit luctûs, Spes lætior infit :  
 Plurima pars restat, sed Timor hostis ait,

Nescit enim seris nox cæca quid aduehat horis,  
 Et necis, an vitæ pignora Virgo feret.  
 Risit Amor, rapidoque volans premit axe timorem,  
 Qui graue funesto puluere tardat iter.  
 Quid lacrymis æquas gemitus & vota querelis?  
 Tolle tuas tecum degener vmbra minas.  
 Quid metus obtexit cæcâ caligine cælum?  
 En, sine nube redux, quod precor, aura nitet.  
 Prospice, quàm longum chorus hic trahit aliger agmen,  
 Ad Matrem Pueri qui redeunte redit.  
 Cede Timor; tandem Spes vicit amœna Timorem.  
 Quâ fugit arte Puer, non fugit; exsul amat,  
 Hic vbi nil reliquum credas, tamen omnia speres.  
 Spes vbi læta viret, floret amœnus Amor.  
 Floris vt instar Amor crescit, sic crescit Amoris  
 Fructus; vt hæc carpas gaudia, semper ama.  
 Hæc tibi spes lætis præfloreit idonea cutis;  
 Vota seras Solymæ, gaudia certa metes.

(a) *In Aegypto hodieque ficus ostenditur, quæ Matrem & Puerum in fuga, vbi sæua ingruebat tempestas, sinu suo sponte tum dehiscenti receperit.*

## ELEGIA IX.

B. Virgo Amorem, quasi venatorem, implorat; & emittit qui Puerum errantem, ceu hinnulum, capiat.

1. *Mittit Amor suos affectus, vt canes.*
2. *Nonnulla Pueri vestigia offendit.*
3. *Queritur se non plura, nec clariora vestigia deprehendere.*

**L**ynceus eia sacram venator discute prædam,  
 O Amor; explora læta, vitæta, specus.

Virgo

Virgo iubet, teneri quam cura fatigat alumni,  
 Quem par flamma coquit, iussa facessit Amor:  
 Explorator Amor, quo nemo sagacior Argus,  
 Seu nox furua tenet, seu magis alba dies.  
 Alter is Actæon (sed iam non fabula) prædam  
 Qui premat acer equo, præpete siue cane.  
 Cura, labor, spes, vota, preces, fiducia, mæror,  
 Actimor, & volucris mista timore fides  
 Vestigat, canis instar, iter fugitantis IESV,  
 Dux ubi Spes omni plus cane prompta sequi est,  
 Deprendit timor hinc rapidi vestigia pardi;  
 Inde legit mæror triste leonis iter:  
 Nam Solymo quacumque premit vestigia saltu,  
 Æmula forma pedum signat & umbra feram.  
 Nempe reas hic scriba nocens meditatur ad aras;  
 Quod leo non ausus, nec tigris ausa scelus.  
 At subit huc meliore comes Fiducia passu,  
 Candida cui felix annuit omen aus.  
 Cerne, columba caput niueis circumuolat alis,  
 Et rectâ Solymo limite tendit iter.  
 Spes suaves bibulis ut naribus hauserat auras,  
 Puluerulenta leuem stetit in arua fugam.  
 Ecce tibi, mimæ nora calcis adumbrat IESVM;  
 Ad Solymæ turres queis sacra thura litant.  
 Deprendi facilis pes monstrat iturus euntem,  
 Cælite sentires sub pede stare rosas.  
 Tum propiora legens Gnati vestigia Mater,  
 Sæpe rigat lacrymis præuia signa suis.  
 Quaque cauis calidos imbres instillat arenis,  
 Sic mihi clam tristi murmure visa queri est:  
 Si pes scriptus humi signat ceu littera Verbum,  
 Cur pedis è signo vox mihi nulla redit?  
 Lingua nec vlla tonat, mutis interpres arenis,  
 Quæ sit inexpertis nuncia fida vijs?  
 Umbra nec vlla stat apta loqui de perpete Verbo,  
 Solis ut illa mei nobile monstrat iter?  
 Aduena Niliacas Puer ut deuenit in oras,  
 Iamque peregrinis exsul oberrat agris?

Indice Mercurio stans ad caput omne viarum (a)  
 Edidici Phario compita secta solo.  
 Ipse viæ sed enim dux quid nisi fabula vanus  
 Mercurius? malim Numinis ora sequi.  
 Nec meus ambages Puer erudit ipse viarum:  
 Qui via certa mihi cur labyrinthus erit?

(a) *Mercurius, ὁδηγός, id est viarum dux, collocari solitus in quadriuijs, viam vt indicaret dubijs viatoribus.*

## ELEGIA X.

Dolet se non posse, venatorum exem-  
 plo, capere prædam suam.

1. *Ingemiscit adhuc aufugere suum Hinnulum.*
2. *Vestigia optat exosculari.*
3. *Videt fortè obuio ab venatore prædam capi, nec abs se Puerum deprehendi dolet.*

**S**ic Matrem, sic ergo fidem, sic ludis amorem?  
 Sic fugis ah! Ceruam Ceruule blande tuam?  
 Eia fauce, facilisque redi, simul infue pectus;  
 Magna tui pars hoc pectore Gnate sedet.  
 Hoc vti nam gremio pars cætera sidat Alumni!  
 Vt quid dimidio non nisi vivat Amor?  
 Totus at incertas Amor auolat exsul in aëras,  
 Et mea spes, omni plus aue, rapta fugit.  
 Quæque fugit, tacitis profugum cor abripit hamis,  
 Vita simul rapto deuia corde fugit.  
 Nec redit; ignotas abit irreuocandus in oras;  
 Siue rapit remus, seu leuis aura vehit:  
 Idque redux roseos vbi iam ter solis ad ortus  
 Pegaseum pernix Phosphorus egit iter.  
 Luce carens oculus muris caligat in vmbri.  
 Hei mihi, lux vitæ cui perit alma suæ!

Spinea

Spinea decurrunt hæc inter sæcula luctus,  
 Sæcula ferratis euoluenda rotis.  
 Qui fugit, hinc fugiat; modò sit deprendere sulcos,  
 Quæis vaga planta cauo puluere sculpsit iter,  
 O ut ego rapidis premerem vestigia plantis,  
 Pumilo quæ niueo calce viator arat!  
 Quot legerem passus, legerem tot & oscula terris:  
 Dulcior ambrosiâ dux pedis umbra foret.  
 Sed nusquam profugi vola perstat, abitque Puelli;  
 Quem tamen hic omni nescia sector agro.  
 Quæ premit Astur ouans, equitans & in Astura terror,  
 Eripedem, rapido quæ fugit vngue, feram;  
 Audio, præcipites glomerant in puluere cursus,  
 Hinc Lycus, inde comes iuncta Lycisca Lyco:  
 Sima phalanx resonis vbi militat aspera syluis,  
 Quæque fremit raucis ludicra bella minis,  
 Adsequitur tandem (felix ô gloria!) prædam,  
 Et fruitur votis spes opulenta suis:  
 Ast ego vana meum nequidquam venor IESVM,  
 Alternas toties mensa remensa vias,  
 Nec nisi flens ærumnolis vestigia curis  
 Pressa traho, colles inter, & inter aquas.  
 Induit in laqueos se præda fugacior aurâ;  
 At Puer insidias frustrat, ut aura, meas.  
 Tum quouis abs rure peto, rurisue colono,  
 Siqua tenent Gnatum prata, vel arua meum.  
 Nulla tenent, nullisque redit spes obuia syluis;  
 Nec tamen à IESV me procul error agit.  
 Me si frustrat iter rata spes, non fallit euntem:  
 Ars est plena dolis ingeniosus Amor.  
 Qui fugit, his oculis lux fixa subhæret IESVS;  
 Hic reperi, & peperit, quem vaga quæro, Deum.  
 Sic reperiisse tamen non est peperisse Puellum:  
 Matris abest oculis; corde sed ille sedet.  
 Est oculi vacuis cur iure querantur in umbris;  
 Cor sed amore flagrans, quo sibi plaudat, habet.

ELEGIA

## ELEGIA XI.

Inuidet B. Virgo soli perennem Filij  
sui adspectum, cuius imaginem cre-  
dit fonti, cui adsidet, innatare.

1. Longiores absentis Pueri accusat moras.
2. Inuidet soli Filij sui conspectum.
3. Existimat se Pueri sui effigiem in aquâ ad-  
spicere.

**A**Rbor vti verno quæ plurima floruit anno,  
Hibernâ luger sub niue nuda comis:  
Sic & ego, cui lessez modò gloria stirpis  
Flos Puer, erepto faucia flore quærar.  
Quique prius mea lux radios adflabat & ignes,  
Ille cauam nubes frustrat vt vda manum.  
Inque graues acuit curas cor triste parentis,  
Tot cui delicias lacteus antè dedit.  
Virginis hic de lacte satur sat vt hæserat vlnis,  
Inuitans auidis oscula blanda genis,  
Auolat incertis Puer, ales vt auia, pennis,  
Eluditque leui brachia vana fugâ.  
Et benè si numero soles sub nube doloris,  
Quos intempesto nox grauat arra polo,  
Arfit & alfit alens alternæ tedia sortis,  
Sole ter vltus ager, rore ter vda seges:  
At tibi purpurei fator aureus ille diei  
Inuideo latos per Syra regna dies;  
Cui darur, vt spectes omni de cardine IESVM,  
Seu iuga celsa subit, seu sola plana secat.  
Inque vicem puro te lumine spectat IESVS,  
Adspirans radijs aurea dona suis.  
Tu, cui nil dederis, recipis iubar ipse Puelli;  
Ast vbi do corpus, triste reporto nihil.  
Dum mera nox inestâ premit, ah! premit vsque Parentè,  
Nec finit hæc oculo spem propiore legi.

Quod

Quod super, vt teneros fregit labor improbus artus,  
 Hæc ego sub palmâ molle reclino latus.  
 Molle putasne latus mollem decumbit in herbam?  
 Quælibet herba rudi spina fit hirta toro.  
 Scilicet ad palmam viridi mihi fontis in vndâ,  
 Heu! memôr ærumnæ prænatat umbra meæ.  
 Cernis, vti saliente petrâ fons vitreus exsul  
 Abnatat in valles, aut sola prona ruit?  
 Exin nulla quies, mora nulla fugacibus vndis;  
 Stue petunt syluas, seu noua prata rigant,  
 Quoque magis fugiunt, magis virget & agmen aquarum  
 Irreduces prono scindere calle vias.  
 Id simul ac vidi, querulo tum murmure dixi:  
 Tu speculum vitæ deuia lympha meæ es.  
 Par hic imago, mei pellucet imago doloris,  
 Qui tibi muscoso desilit è scopulo:  
 Riuus enim fugitans Christi fugitantis imago est;  
 Vt procul indignis fontis aberrat aquis,  
 Sic longinqua petit Matris diuortia IESVS,  
 Omnibus & nullis exsul & hospes agris.  
 Sed tristes dat Mater aquas, fons gaudia pascit:  
 Discrepat hoc vnum, cetera fontis habet.  
 Prona sed vt nitido defixi lumina stagno,  
 Spes mihi formosis adnatat hausta vadis.  
 Credula ni mendax fallat mea lumina Naïs,  
 Hic natat in liquido pulchra figura vitro.  
 Hæc Pueri certè, nec aberro, simillima lymphæ  
 Forma niter, citimo iam pede radit aquæ.  
 Tam citò quò rapidis ( mirum ) Puer aduolat alis?  
 Nescit Amor lentæ tædia ferre moræ.  
 Quid moror, ah! niteo circum dare vincula collo,  
 Vincula, queis tristes soluero corde metus?  
 Ergo manus manibus, simul apprimo pectore pectus,  
 Lactea lacteolis oscula & addo genis.  
 Heu! sed auara cauos frustratur imago lacertos;  
 Umbra vel vnda fugit, quod modo stringo, caput.  
 Nil misere linquit pignus nisi triste doloris.  
 Hoc spoliū è Gnato flens leget ergo Parens?

ELEGIA



## ELEGIA XII.

B. Virgo obuios Pastores de suo Agno  
perdito interrogat.

1. *Spes aliquid innuit de morte Christi; sed  
tamen antè repertum iri in templo.*
2. *Vbi non redit, Pastores obuios de suo agno in-  
terrogat.*

**V**T Spes aëriâ gaudî prænuntia cedro  
Sederat, id liquidâ voce diserta canit :  
Ite pij Genij, blandis narrate susarris  
Gaudia, quæ matri spondet habenda Puer :  
Quem multi pueri, multæ cinxere puellæ,  
Nunc etiam cinget plurima turba virum.  
Haud ignota cano priscis oracula sæclis,  
Quæ sibi spondet auus, spondet & ipse nepos :  
Affore quem vates seris cecinere sub annis,  
Alter Isaac aris, alter & agnus erit.  
Te tamen antè tuas inuitat hic Agnus ad aras,  
Quæis adoleat castis victima multa focis.  
Ecquid ad hæc Virgo, longæuis faucia curis ?  
An nihil ardores temperat inde suos ?  
Temperet ? accendit : nec enim sat gnara Puelli est,  
Sit Solymæ ; Solymo num procul erret agro ;  
Cui latus hinc auido, latus inde timendus hiatu  
Fors leo, fors pardus, fors ferus vrlus obit.  
Hinc gemitus, lacrymæ, suspiriaque interrupta,  
Ah ! neget ipsa salus quam dare debet opem ?  
Quæ sequor, ille fugit : fugit ille simillimus umbræ,  
Quaque fugit, profugum ceu celer umbra sequor.  
Incastrum tot iere preces, tot iere labores,  
Spem via nulla meam, nulla vel hora refert.  
Quod super, extremo quæ fors iam prima labori est,  
Hic vbi murus agit sol, vbi murus ager,  
Te precor, ô Damon, comes & Damoni Palæmon,  
Plurima quos varijs semita sparfit agris ;

Dicite

Dicite vos; an iusta piæ quis vota Parentis  
 Despuat, & fallat, ceu perra surda, preces?  
 Nuncubi visa breuis vestigia conscia plantæ,  
 Aut dubiam monstrant obuia signa fugam?  
 An magis ipse iuis Puer Agnus inerrat & agnis?  
 Aut fuga visa vage meta sit ipsa fugæ?  
 Vel clausum tacitâ reperit sub rupe Menalcas,  
 Lux vbi nocturno fulsit amica gregi?  
 Ac illi grauido misit pia dona canistro,  
 Qualia de puro lacte ministrat ouis?  
 Quid verat errantem Puerum per aperta viarum  
 Deprendas, radians sol vbi monstrat iter?  
 Deprehsunq;ue pijs cumules nunc denique donis,  
 Vber vt inde gregi dein tibi fœnus emas?  
 Quisquis enim magno fert munera parua Puella,  
 Maximus ab paruo præmia magna feret.

## ELEGIA XIII.

Inter Pastores B. Virgo de suo Agno  
errabundo agit.

1. Ostendit suum esse Filium pulcherrimum Pa-  
storum Pastorem.
2. Eius describit pulchritudinem.
3. Conqueritur se non posse, vti Pastorem, erra-  
ticam ouem reducere.

**T**ityre dic, lætos calamus cui narrat amores,  
 Palantem varijs videris ergo vijs?  
 Hærentemue rubis, stantemue ad lustra ferarum  
 Agnum, seu Puerum, qui sine Matre fugit?  
 Nam Puer ille tuo tener Agnus oberrat ouili,  
 Pascit & ille tuas Pastor & Agnis oues,  
 Hoc duce, si nescis, inuictus ad arma ferarum  
 Duxit Iessiides ad sua septa gregem,  
 Et tamen ignoras, mi Tityre, siue Palæmon,  
 Quo tibi, siue gregi sit duce tuta salus.

Quem

Quem sequar, eia pedo signa, precor, indice callem,  
 Quò Puer ille gradum fert modò, siue tulit.  
 Quod si nescieris quæ forma, decorue Puello,  
 Quæne sit in Puero gratia, digna Viro:  
 Ille vel eripiat dictis tibi fulgere solem,  
 Sic trahit eloquio pendula corda suo.  
 Ille genis candor, cui vel lac cedat, & omnis  
 Agnus adhuc cedat, cedat & omnis olor.  
 Eius ad os roseum tenui rosa decolor ostro  
 Pallet, & hoc Eos ducit ab ore rosam.  
 Hic est ille Puer, pueros cui consecrat agnos  
 Ara, pari & macrem munere libat ouem.  
 Hunc si non reperis, qui quolibet hæret in agro,  
 Alphefibræ, tuas perdis inanis oues.  
 Inuentu est facilis, modò si velit, omnibus oris:  
 Sin neget, ah! nullis est reperire locis.  
 Quis scit an, vt facilis Puer est, hoc forsan in aruo  
 Optat, vt inuenias? est reperisse salus.  
 Quod si quæsieris quot adulta puertia cursus  
 Ambierit, quales annuus orbis agit;  
 Vellera iam vidit bis senos tonsa per annos,  
 Et toties vernis herbida prata comis.  
 Errat, & error abest, cui mens stat prouida rerum;  
 Ceu tamen erro foret, me sine fine fugit.  
 Quod si quando bidens patrijs procul auiã septis  
 Fugerit, & tutos tum gregis ipse fugis:  
 Tum videas varios hæc illac flectere cursus  
 Tityron errantem, queis pecus errat agris.  
 Vos quoties memini palantes omnibus aruis,  
 Tityre, seu Damon, quætere signa fugæ!  
 Siqua bisulca pedis fortasse suberrat imago,  
 Muta licet, profugum quæ pecus apta loqui est,  
 Iamque vbi, Daphni, notas bifidæ vestigia plantæ,  
 Latus, iò! victor gaudia quanta sanas!  
 Vt celer inuentum manus ilicet involat agnum!  
 Vtque refers pleno pondera grata sinu!  
 Lanigeræ modo marris onus sed dulce bidentem  
 Vt gaades viridi deposuisse solo!

Fistula septenis ut tum cavit apra cicutis!  
 Ut reducem grato carmine mulcet ouem?  
 Ast ego tale nihil meditor, cui conscia nusquam  
 Spes prædæ, gremio gaudia nulla sedent.  
 Ille tans felix agnam qui repperit error,  
 Arguit errorem, spes cui nulla, meum.  
 Floruit illæsâ pudor, & Puer integer alio,  
 Dum peperit, nusquam noxa doloris erat.  
 Ut fuerim nullo tum læsa puerpera lactu,  
 Ab puero mæror partus acerbus erit.  
 Quos tulit orba viro nurus Helias ante dolores, (a)  
 Dum parit; hos Gnato iam fero nuda meo.  
 Discrepat hoc vnum: mihi flos sterit integer æui,  
 Me sed in hoc partu longior angor habet.

(a) Iohabath nurus Heli. ubi audit Arcam Dei  
 captam à Philistæis, & ab ijs virum suum Ophi  
 cæsum in prælio, præ dolore sese incuruat, & gra-  
 vissimis cum ærumnis parit.

#### ELEGIA XIV.

B. Virgo, vbi ad fontem suo quærit la-  
 bori solamen, Spes adferit Filium  
 suum Ierosolymis versari.

1. B. Virgo queritur abesse Filium.
2. Desidit ad fontem, qui exaruerat: aliquid  
 tamen mellis lectitat è flore leuanda siti.
3. Spes insusurrat Puerum versari Ierosolymæ.

**H**eu Paer! ille Puer periit, metis ardor, IESVS: **I**  
 Saucia flammato pectore Virgo gemit,  
 Truncus ut inuitâ fugit exsul ab arbore ramus,  
 Quem rapit immiti sæua procella Notus,

K

Et vidua

Et viduâ fragilis ceu flos absistit ab herbâ,  
 Orba suo & pomum spes sine flore fugit;  
 Sic à Matre Puer direptus aberrat; & errans  
 Rescidit implexâ vincula pacta manu:  
 Nec redit in gremium meus ah! fugitiuus alumnus?  
 Dulcior hoc gremio quis torus alter erit?  
 Oscula cur vacuis frustratur auara labellis,  
 Meque Puer vanis fallit, vt aura, modis?  
 Ille dies niueis huc quando recurret habenis,  
 Aut nox Eois æmula facta rotis;  
 Quâ dextram reduci Genitrix inuertet Alumno  
 Dux Pueri comiti, vel comes ipsa duci?  
 Cura diu noctuque redux mihi semper IESVM  
 Parturit; at IESVS, hei mihi! nullus adest.  
 Influe Maternas, Puer, influe rursus in vlnas:  
 Hic mihi complexus, partus vt alter erit,  
 Sed quid auara graues in vota retexo querelas,  
 Et voco, qui nusquam sæpe vocatus adest?  
 Quæ spes vna super, sua quam sic vita relinquit?  
 Legabo lacrymans, vota suprema, preces.  
 Me dolor, & timor virget, alit dolor ipse timorem;  
 Et timor auget atrox triste doloris opus:  
 Meque meis donis oppugnat vterque, tot olim  
 Delicias sæuis damnat vterque malis,  
 Quæ modò surgebam quouis lux altior astro,  
 Heu! nunc ima nigro deprimor imbre solo.  
 Hæc inter gelido solabor fonte laborem,  
 Dum rapidis torret Sirius arua rogis;  
 Hic, vbi singultim liquidis eructat arenis  
 Nais aquas, riguo quas bibit herba solo.  
 Fons sed in exangues exaruit omnis arenas,  
 Gutta nec in sicco stat super vlla vado.  
 Quæ fugis hinc, ô si scires, pia Nympha, quid hospes  
 Hæc petat, adfluere vberem largam sinu.  
 Quæ si vel tenui libaret in imbre liquorem,  
 Diuite manares largior vnda rago.  
 Vidit vt hoc Mater, multo gemit vuida fletu;  
 Fons, ait, hic animi tristis imago mei est.

Ante

Ante nurus alias mihi, ceu fons aureus, vber  
 Copia fluxit opum; tot Puer vnus opes.  
 Nunc riguo pro fonte tenet me torrida puluis,  
 Ni mel hac flueret, quam modò carpo, rosâ.  
 Euge, sitim leno melle, rosâ quod inheferat vde,  
 At mel in lacrymas verterat omne dolor.  
 Nempe viâ fractos quatit aeger anhelitus artus,  
 Ardua spectro gemens sidera, spectro solum.  
 Nescio, quæ superis vox blanda susurrat ab oris: 3  
 Virgo sedes? Solymo tramite carpe viam.  
 Ludit, & an tremulâ strepit aura susurra sub vlimo?  
 An crepitat vitreo garrula Nympha pede?  
 Heu, quicumque sonus, volucrisue, feræque, vel Echûs,  
 Nescio si mimò par sit imago sono:  
 Quidquid id est, sequar ipsa nouos meditata labores,  
 Tendo, sed ô felix! si modò præda venit.  
 Deest via, quâ curram; nisi fors per deuia rerum:  
 Si tamen errandum est, pulcher it error Amor.  
 Sic tamen errat amans, vt vbique recurat eodem,  
 In matris gremium, dum fugit ora, Puer:  
 Nempe cauo clausum sub pectore spirat Alumnum  
 Mater, & incluso ducit ab igne faces,  
 Interiore domi clausum quem spectro latebrâ,  
 Quid foris hunc omni nescia venor agro?  
 Quem perdunt oculi IESVM, cor possidet hæres;  
 Igneus hic imis spirat, vt aura, fibris.  
 Hoc equidem crudo solamen dulce dolori est,  
 Si quem perdit amans, hunc sibi reddat Amor.

## ELEGIA XV.

B. Virgo timet, speratue, ne quid Ie-  
 rosolymis IESVS patiatur, vel  
 cœlos adscenderit.

1. B. Virginis ardor in quærendo Phero.
2. Timet, Ierosolyma ne quod Phero creetur  
periculum.

K 4

3. Sperat

3. *Sperat victorem fore.*

4. *Stat etiam ad vsque cœlos ipsos eum sequi.*

**R** Vra per, Isacidasque teler procurrit ad vrbes,  
 Hinc pia Virgo, pius Virginis inde comes,  
 Non pudor officio, non spe mora lenta salutis;  
 Non dolor ab curâ, non ab Amore timor.  
 Nec via longa, laborue pijs absterret ab ansis;  
 Nanc vbi ter fraudat spem ter oborta dies.  
 Atra dies, Pueri quâ lux filer abdita nimbo,  
 Quo sine nox medijs solibus alta sedet,  
 Sed quid adhuc cœcis iubar hoc indago sub astris?  
 Stella putas rursus præuia ducet iter?  
 Hæc, quæ Bethlemijs fax constitit aurea testis,  
 An nescis? Solymas vitat opaca domos.  
 Funestis timeo tempestas incubat aris:  
 Hinc Phariæ fluxit turbida causa fugæ.  
 Hinc tot Idumæas, Puerò nascente, procellas,  
 Ceu foret Orion, regia stella dedit. (a)  
 Quas non porrò minas, tempestatèque Puellæ  
 Nox intempesto monte Sionis ager!  
 Hic nebulæ caligo, furor, nox conicia noxæ:  
 Monte quis vmbroso det reperire diem?  
 Anne Deum Solymæ quis lustrâ per impia quærat?  
 Hic vbi tot pardi, pardales; adde tigres.  
 Stet Puer imbellis tot ad arma cruenta leonum?  
 Expugnetque truces vna tot agna feras?  
 Ah! tener ille cruor pardi stillabit in vngues:  
 Siquis & hic pardo est sæuior hoste furor,  
 Flens, memini, quoties crucis vt memor ante Puellus  
 Arsit, in immanes igneus ire tigres.  
 Fortè sed hos Solymâ vincet Puer vrbe furores,  
 Quos hinc pardus, atrox pardalis inde fremit.  
 Paruus Iessides si fregerit ora leonum, (b)  
 Fregit & horrendas, quas tonat vrsa, minas;  
 Quid verat, vt Princeps, qui gloria Iessidarum est,  
 Iessides vincat monstra cruenta Puer?

Fortè

Fortè sed astra terit, fortassis & altior astris,  
 Cœlite de folio iura dat alta solo.  
 Etherium ni carpat iter, vel in Iride sidat,  
 Ut superâ flenus spectet ab arce meos;  
 Eluctaus saxis, horrendoque aggere spinis,  
 Ibo tamen vel sic, quâ licet, astra sequar.  
 Ast ego queis teneam vinculis iam pendula cœlo,  
 Ut Puerum strictâ cepero forte manu?  
 Ut teneam, superisne putas decurret ab oris,  
 Quo sentâ laqueos induat exsul humo?  
 Sed quid opus teneam, tenearue sequace catenâ?  
 Omnia qui vincit, vincula nescit Amor.

(a) Orion, nimbosum sidus, quale fuit Herodis  
 stella, dux Magorum.

(b) David ursum & leonem fregit.

### ELEGIA XVI.

B. Virgo optat, vt Iosephi instar, cum  
 honore I E S V S redeat.

O grauis angor, inabruptique catena laboris,  
 Quem nouus alterno curfas in orbe trahit!  
 Ergo tot ærumnae fructum hunc peperere Parenti,  
 Ut lacrymas agro non nisi corde bibat?  
 Quemque domi custos tam sedula seruat Alumnum,  
 Virgo peregrino perdita perdat agro?  
 Et mihi quem florem Nasaræius educat hortus,  
 Ignarus Solymo quærat in orbe labor?  
 Sed quid ego lacrymis vanas describo querelas,  
 Et cadit e tristi multa litura stylo?  
 Quis scit, an vt Ioseph patrijs abreptus ab vlnis,  
 Externo reperit scepra beata solo?  
 Nobilitansque iugum dominâ seruile coronâ,  
 Obsequijs emit regia iura suis?

K iij

Ac gra:



Ac grauidas lacrymas scepro deterfit, & oſtro,  
 Grandauo cui mors vixit acerba patri?  
 Vtque nigro luſtu grauidos iam duxerat annos,  
 Læta dedit niueis currere ſæcla rotis?  
 Et ſe iam ſenio ſeris exemit in annis,  
 Vnde bis orta nouo flore iuuenta vires?  
 An iam non itidem IE SV S meus, alter Iôſeph,  
 Nobilis in Pharios auolat exſul agros?  
 Inque Parætonias ſub nube recurrit arenas,  
 Et latet obſcuris paruulus erro plagis;  
 Vt patrios cum luce redux illuſtret agellos,  
 Illuſtretque breuem purpura clara caſam?  
 O; quibus illecebris pius influet ardor IE SV,  
 Obuia cui toto pectore pando ſinum!  
 In gelidas rediuiua fluet mihi flamma medullas,  
 Quam toties iuſſit mors ſine morte mori.  
 Ipſe mihi tunc alter erit Iôſephus IE SV S;  
 Gaudia Iôſepho ſed meliora feret.  
 Quam mihi tum dulcis parru de cœlitate fructus,  
 Integra cui puri gloria floris, erit!  
 Antè ſemel natus mihi bis naſcerur IE SV S;  
 Sed reperiſſe ſemel grandius inſtar habet.

## ELEGIA XVII.

B. Virgo implorat abſentem Puerum,  
 ad ſe vt quantocyùs iter refleſtat.

**M**ater Idumæas vbi mæſta pererrat arenas,  
 Auiâ quo curas diripit aura ſuas;  
 Plorat, vt occurrit Pueri fugitantis imago,  
 Et mediâ ſiſtit terque quaterque viâ:  
 Reſpectatque gemens circum, ſimul omnia luſtrat,  
 Sicubi foris Guati prauolat umbra ſui.  
 Nec tam quærit amans, an mille cucurrerit aruis,  
 Quam quòd ab his forſan millibus inſtat iter.  
 Nec numerat ſoles, atrove ſub æthere noctes;  
 Cura ſed vna Puer, ſed Puer vnus Amor.

Non

Non metuit nimbos, auras nec sperat amœnas ;  
 Dummodo dulce sacro ducat ab ore iubar,  
 Quot capiti crines, oculos tot & aptat, & astra ;  
 His attris Puerum spectet, vt Argus, Amor.  
 Hinc labor, hinc cursus, variosque recursus in orbes,  
 O quæ non oculis peruolat arua suis !  
 Sæpè terit sentas, quamuis inuita, salebras ;  
 Nec tamen è salebris vulnera senta dolent,  
 Vt Puerum quærat, quos non ah repperit æstus !  
 Ne reperire queat, damna quot inde refert !  
 Dura quidem, fateor, vocet hæc quis damna Parentis ;  
 Vt teneat quod amat, plura tulisse iuuat,  
 Sæpè quidem vidi tristes qui misceat herbas,  
 Vt ferat optatam succus amarus opem :  
 Nec ferat ægra Parens absynthia dira doloris,  
 Materno redeat quò sua vita sinu ?  
 Dicitur his etiam flens ingemuisse querelis ;  
 Nec Puerum verbis detinuisse suis :  
 Non ego Virgo sacri deosco præmia partus,  
 Et quæ Bethlemio gaudia parta toro ;  
 Sidereosue choros, hilarisue per æthera plausus,  
 Pacis inauratas nec mihi posco tubas ;  
 Supplice nec Regum de vertice quæro coronas,  
 Tale nihil Pueri conscius ambit honos.  
 Attamen est tibi, Parue, pius quod suggerat vsus,  
 Quod precor exiguum est, vota precantis habe.  
 Flos ego, si nescis, nocturnis languidus umbris,  
 Sol cui castus Amor : da modo, sole frui.  
 Aureus auricomo comes vt flos solis ocello.  
 Annuit, & læto pandit in orbe comas ;  
 Sic vbi te specto, cor tristibus explico curis,  
 Insinuans imis gaudia pura fibris,  
 Quin & vbi radios oculis mea spargis in ora,  
 Tum mihi fit totum pulchra corona caput.  
 Ocyus indulge, mihi fulgere rursus Eoam ?  
 Opto tuis oculis hic sed Eous ear.  
 Quantus honos ! geminos Pueri duo lumina soles  
 Nox iam nulla premet, nec premet vlla dies,

K iij.

ELEGIA

ELEGIA XVIII,  
Amoris de Christi morte  
augurium.

1. *B. Virgo Puerum quarit.*
2. *Amor in Aëdonem versus, B. Virgini sub ficu  
quiescenti accinit futuros Christi dolores.*
3. *Horologium struit Amor e 12. Zodiaci signis;  
unde Christi annos 33. & 3. menses per  
ternum duodenarium computat.*
4. *Virginis tum dolores explicat.*

**D**Um Virgo tacitis thalami desedit in umbris,  
 Rettulit ab Gnato gaudia certa suo.  
 Nunc vagus incertam per inhospita saxa, per ornos,  
 Omnibus in campis error, & ardor agit.  
 Gnatus ut errat amans, & amans sic errat Alumna;  
 Sic docet errores error; at error Amor.  
 Fessa Parens æstu ficus viridante sub umbrâ  
 Gramineâ tandem sidere cœpit humo.  
 Ut sedit, tenues sese collegit in artus,  
 Et prius ignis Amor, iam canit Attis auis.  
 Vnus enim varias se saepe refingit in artes,  
 Et sacer ut Proteus alter & alter abit.  
 Nunc alius, sed non alius; simul vnus & idem,  
 Ipse sibi semper discolor errat Amor.  
 Quos canat explorat Genitrix vigil aure susurros,  
 Ominaque atra necis, quæ gemat augur Amor.  
 Pleraque pars abiit crudi miseranda doloris,  
 Pars tamen ærumnis plurima restat, ait.  
 Mœsta gemes, quando ternos verus ille Tonantis  
 Induet in clauos tela trifurca furor.  
 Tunc erit, ut durâ subus asperet ora coronâ;  
 Qualis Idumæis plerimus horret agris:  
 Discerpant.

Discerpantque flagella latus, laterique cruentos  
 Infundat sulcos ad probra sæua dolor.  
 Ah! tuus in Gnati fundetur sanguine sanguis,  
 Et MARIAM in IESV crux dabit æqua mori.  
 Cætera quid memorem diri præfagia luctus?  
 Quæ non sustineam cernere, damna loquar?  
 Succida siqua tuis lateat tum vena medullis,  
 Defluet in tristes tora liquanda faces;  
 Vt sic ipsa Parens sæui fax conscia casus  
 Luceat, in medio nox vbi sole sedet.  
 Ante sed est longos sol euoluendus in orbem,  
 Quam velit in Gnati funere serò mori.  
 Interea bisseña suis sol signa quadrigis  
 Qui regit, è signis Horologei non agit.  
 Indicis instar erit bisseñis signifer annis,  
 Postera quos seris aduehet hora rotis.  
 Signiferos quot enim menses regit annuus ordo,  
 Et tot adhuc annos Christe superstes ages;  
 Bisque vbi bisseños iam demum duxeris annos,  
 Adde nouem, metam queis tripla luna dabit.  
 Sol parat his alios, aliosque aduoluere soles,  
 Inuida sed claram præpedit vmbra viam:  
 Scilicet, abrumpet pulchrum mors impia cursum,  
 Atque anidas sistet crux sacra meta rotas.  
 Vt tunc Ezechia: decimã sol excidit vmbra,  
 Sic decimus Christi sistet & annus opus.  
 Tum qui purpureo sol fulgere fuerus Eoo,  
 Aurea nocturno subtrahet hora peplo:  
 Credibile est simili gemet astriger orbis in vmbra,  
 Aggemet astrigeris & rea terra choris.  
 Crescite vos lacrymæ, dices tunc saucia luctu,  
 Crescite vos nimbi, crescite fontis aquæ;  
 Crescite ceu Iordan, ceu Nilus crescite fletus,  
 Crescite in Euphratem, crescite in Oceanum,  
 Oceanum; quælis primo stetit orbis in ortu,  
 Cui ponti facies vnica, nulla soli.  
 Hi tibi tum fluctus, Gnati que è morte dolores,  
 Lugubris huc atris quos feret annis aquis.

Hæc vidi, aut vidiſſe tui reor omina luſus,  
 Si modò præ lacrymis triſte videbo nefas.  
 Sed vidi, gemuiſque nefas ferale, retractat  
 Mens memor, attonito pectore lingua ſtupet.  
 O cælum! ô tellus! ô conſcia fidera noxæ!  
 Ergone vos tantum ſuſtinuiſſe ſcelus!  
 Et tot ego, tantosque breui breuis ore dolores  
 Sullineam, Verbo præmoriente, queri!

## ELEGIA XIX.

Amoris augurium de reſurrectione,  
 & omen alterum de annis  
 eius vitæ.

1. *Amor dolorem B. Virginis abſtergit. ſpe reſurrectionis.*
2. *Eius tum gaudia prædicit.*
3. *Sub ficu feſſa deſidit. & e 33. eius folijs & inde umbris ipſa conijcit totidem Chriſti annos, adde 3. menſes.*
4. *Si amara ficus folia; at fructus dulces exiſtunt: & inde Amoris vaticinium confirmat.*

## VOX AMORIS.

**S**ed quid in has lacrymas nequidquã triſte reuoluo,  
 Crimen, & infando crimine damno crucem?  
 Eia, rotâ lætæ meliore remetiâr æuum;  
 Lux tibi ſanguineo ſurget amœna mari,  
 Nam ſimul ac Solymis ſacra iura reſoluerit aris,  
 Quæ verus antiquat lex noua Moſis opus;  
 Tum Gnati de morte ſalus, lux aurea nimbo  
 Surget, honos probro, crimine ſanctus Amor.

Mors.

Mors quoque natali vitam paritura sepulcro est,  
 Quem tulit exit in cūm, verna reponet humus.  
 In damni lucrum pretium iuuat isse sub vmbra,  
 Paruus vt ante cinis gloria summa foret,  
 Influet vltro tuas tuus o. tuus ignis in vlnas  
 Influet; o quali nectare tota flues!  
 O quoties dulci stringes pia vincula nexu!  
 O quoties lacrymas oscula blanda bibent!  
 Cetera quid numerem nulli numeranda tot olim  
 Gaudia, cœlesti gaudia digna toro?  
 Dixerat; & largo rorantes nectare pennas  
 Excutit in gremium Virginis ales Amor.  
 Ecquid ad hæc Virgo? pia Virginis imbuat ostro  
 Ora pudor, pulchro est digna pudore Parens.  
 Haud equidem tali sese dignatur honore,  
 Sed tamen hoc dignam Gnatus honore facit.  
 Ast ea spes olim: nunc ah! grauat atra metu fors,  
 Et violat præsens gaudia sera dolor.  
 Nam Puer hic nusquam, qui spondeat ominis omen,  
 Quale tulit superis huc philomela plagis.  
 O, velit hoc Numen, tandem satur hisce querelis  
 Vt siccat lacrymas Matris ab ore Puer!  
 Nullus at has siccat Puer: ergo recurrit eodem  
 Orbe dolor; niueis spes fugit ægra rotis.  
 Tunc autem virides, vt erat defessa, per vmbra  
 Sidit humo; gelidam ficus obumbrat humum.  
 Tricenas numero ficu (tres adijce) frondes;  
 Frondibus his annos ficus & ipsa notat:  
 Quæ quot alit frondes, annos tot ducet IESVS;  
 A Pueri didicit Mater, & inde docet.  
 Et latis legit e folijs præfaga doloris  
 Signa, cruces folijs omnibus ire gemit. (a)  
 Scilicet hæc Adæ ficu sata ficus auita,  
 Criminis vnde luit sera piacula nepos.  
 Sed graue si ficus folium contristat amaror;  
 Fructus at e ficu, de cruce nectar alet.  
 Sic Virgo, nec plura queri tum visa: dolorem  
 Lenit; alit crudus dulcia vota dolor.

Par &amp;

Par & in amisso spes hinc occurrit Alumno;  
Prima quod hora negat, postera ferre volct.

(a) Plerique existimant Adā pomum, & primi  
mani peccati illecebras fuisse ficum; cuius scelus Crux  
expiarit. Certē in Aegypto sunt ficus, quibus crucis  
imago innascitur: Macarius Aegyptius id suis in  
homilyis refert.

## ELEGIA XIX.

B. Virgo triduo quæsitum Puerum  
in Templo Ierosolymitano  
tandem reperit.

1. Vix credit sibi adsistere Puerum.
2. Eum suavissimis cum lacrymis excipit.
3. Vberrimas in delicias è Pueri complexu eor  
Parenti colliquefcit.

**H** Ac via senta tenus fuerit: nunc discute sentes,  
Mollia sunt molli præta terenda rotâ.  
Nescia Virgo tuus Solymis quem quæris in agris,  
O Amor! en arâ Iesside Gnatus adest.  
Gnatus adest; radiatque omni lux clarior astro:  
Aureaque Eoi gloria, Gnatus adest.  
Ille, vides? quid tardo? tuo sedet obuius ori.  
Ille, vides? Matri pristina dona refert.  
Videris os, quales liquidum cor colliget ignes!  
Deque oculis quantas hauriet illecebras!  
Audio: nam videor tennes audisse susurros.  
Fallimur, hos certè das rediuiua sonos.  
Men' fallunt oculi? luduntue insomnia mentem?  
An vigilo? vigilem gratus an error habet?

Ecces

Ecce Puer, Puer ecce ; meo sol alter Eoo,  
 Quem mihi quæsierant res sine sole dies.  
 Fallor ? Iessæam meus agnus an hæret ad aram ?  
 Ipse locus, fateor, suadet adesse Deum.  
 Se Puer ( & motor ? ) ipse meas transfundit in vlnas,  
 Transfunditque animam Matris in ora suam.  
 Hic Puer ? an Pueri mendax obliniit imago ?  
 Fallere sed nescit : Numinis istud habet.  
 O precor, hos omnes oculis Amor induat artus,  
 Vt tenerum spectem lyncea tota Deum !  
 Vtque trahit pulchros iris de sole colores,  
 Mater & ab Gnato ducat amœna decus !  
 Nec dærit liquido cômès imber, vt imbuat irim ;  
 Argento lacrymis quale refundit Amor.  
 O dulces lacrymæ ! Pueri sed dulciôr vsus ;  
 Quo datur implexâ stringere colla manu.  
 Annulus aurato præcingit vt orbe pyropum,  
 Hoc, Puer, amplexu sic tibi cingo caput.  
 O quales Puer almus opes vouet inde parenti !  
 Par quibus in pretium non satis orbis erit.  
 O, & qualis honos ! quis amans sua corda tuendo  
 Expleat, vt blandas hauserit inde faces !  
 O quales loquor, ô loquor, ah ! cum voce fugit mens,  
 Deliciæ ! an breue cor gaudia tanta patis ?  
 Sol & luna vale, pulchrique valere smaragdi ;  
 Sat mihi diuinum est cernere posse caput.  
 Eius ab adspectu, quo non formosior ignis,  
 Sol radio geminat lucidiore diem.  
 Parce Puer radijs, nimis ah ! cor vris amanti :  
 Parce, precor, lacrymis ; his ego liquor aquis,  
 Parce genis ; nec tange genas tot ad oscula, Matris  
 Abduces viduo cor, animamque sinu.  
 Nec mihi tange manus ; nimis imprimis arcta parentis  
 Vincla, quibus vires exprimis ipse meas.  
 Sed, quid ago ? blandi quid deprecor omen amoris ?  
 Abnuat ah demens num quis amando mori ?  
 Antè Parens varijs vbi te quærebat in oris,  
 Dimidium vite si dedit orba suæ ;

Vt q̄



Vt te iam reperit, quo viuet sospite sospes,  
 Iam dare se rotam numquid auara neget?  
 Ergo manu ne parce, genis ne parce, nec vlnis,  
 Parce Puer vitæ, pignora blanda vouet.  
 Aut si cor tenerum tantos non sustinet ignes,  
 Dulce decus pulchro sic ab Amore mori est.

## ELEGIA XX.

B. Virgo reperit tandem inter  
Doctores Puerum.

1. B. Virgo optat Pueri faciles vias.
2. Spes monet eum agere Ierosolymæ.
3. Deprehendit inter Doctores.
4. Dubitat, nam sit suus Filius.

QVæ procul ignarâ fugitat iam Matre Puellus,  
 Aut iter in Solymos triste reuoluit agros;  
 Vos humili campo tumidi subside colles,  
 Et campi facili pandite colle viam:  
 Vosque diu salebræ, queis petra stat horrida dūnis,  
 Florida gramineis vestiat herba toris;  
 Mollia quò molli vestigia sterneret herbâ  
 Iesseidesque Parens, Iesseidesque Puer:  
 Si modò longinquis plaga diuidit auia terris.  
 Sed propior Solymis limes aderrat agris,  
 Spes monet; vt florente sterit dux obuia cliuò,  
 Stella comes pulchrâ lucidâ fronte micat.  
 Flecte Sionæam cûrsus, pia Mater, ad ædem;  
 Hic Puer ærumnis fida stat ara tuis.  
 Pallidus hic Saræ coniux, quem perdat, Ifacum  
 Repperit; & IESVS alter Ifacus erit:  
 Sera sed immiri quem mors hic destinat aræ,  
 Æqua fauet Pueri, quò sit iniqua viro.  
 Huc age, Virgo, rotas: arcis Sionidis aram  
 Insistit; rapidis mèta petenda rotis.

Te autis

Te tuus hic exspectat honos ; & nescia quæris ?  
 En, radios spargit Matris ad ora suos.  
 Currere quid tardas, via quò vocat ardua, cursum ?  
 Illicò deprendes, quem tuus ambit amor,  
 Fons hoc monte salit, tibi qui satur vberè riuo  
 Pascet inexhaustam, ceu mare dulce, sitim,  
 Nempe Sionæas Gnatus tuus adsidet aras,  
 Vnde trahit flammæ Aqua cremanda suas.  
 Hic quid agat, quæris ? cui par cum Numinae nomen,  
 Explicat æterni mystica iussa Patris,  
 Ille (vides ?) medias inter pulcherrimus aras,  
 Maximus in parua voce Magister adest,  
 In Puerò canus stupet hinc, stupet indè magister,  
 Et Sophiam, & cano pectora digna viro,  
 Auditisne, sacram qui miserit æthere legem ?  
 Hic ille est, cui mens formula legis erat.  
 Mater & ipsa nouum bello stupet ore decorem,  
 Quæque vouent purum lumina blanda diem,  
 Hæc sat vbi dubiâ cum mente reuoluit ad aras,  
 Tum tacito tales mussitat ore sonos :  
 Credimus ? an somnus, vel opinio ludit amantem ?  
 Nec quod adest, an amans error adesse velit ?  
 Nec nisi fallacem Pueri vice cerno figuram ?  
 Hæc mea lux, mendax lucis an umbra mea est ?  
 Ipse Puer, Puer ipse redit : quid demoror anceps ?  
 Tarda quid amplexus, Paruule, fraudo tuos ?  
 Tunc umbrâ propiore latus qui radit, Ioséph  
 Admonet : è radijs noris adesse Deum,  
 Quin etiam violas, myrrham, thyma, nardon, amomum  
 Ambrosijs spirant enthea corda labris,  
 Per sua tela tuum nosco, quem quæris, IESVM,  
 Aurea tela, quibus vulnera figit Amor :  
 Vulnera queis molles adlambit flama medullas,  
 Flamma satas cælo pascere digna faces,  
 Si tamen hæc sit flama, grauem quæ temperat æstum ?  
 Credideram flammam, blanda sed aura rosæ est,  
 Par cui mala rosæ, cui frons niter aqua ligustro,  
 Lacteaque in puro pectore vena fluit.

Quid

Quid verat & suaves Puer, & rosa, spiret odores,  
 Et pro lacte Parens nectar vt inde bibat?  
 Quin & crediderim, quod tu mirere, viator,  
 Si quã viret sacro fylua, vel herba iugo:  
 Versicolore liqueus quisquis iam flore sedet ros,  
 Discolor è picto gemmula fore nitet.  
 Sin fata flore caput dein gemma corohet IESV;  
 Quod modò gemma fuit, lucida stella micat.

## ELEGIA XXI.

Dolor B. Virginis è falsã quasi opinio-  
 ne; & gaudium è Fueri occurfu: seu  
 potiùs Virginis vmbra queri videtur.

1. MARIA fingit adhuc abesse Puerum,  
 & ob id vult rerum ordinem inuerti.
2. Sentit adesse, ideòq; omnia ad gaudiũ inuitat.
3. Letitia vtriusque.
4. Fidiã maiestatem tandem Mater veneratur.

**I**ncipe lugubres chorus Aliger ille querelas,  
 Cui mea de partu gaudia cantus erant,  
 Nunc suus, ah! MARIAM liquit (quis credat?) IESVS:  
 Nunc fit, quod fieri posse negabis opus.  
 Luna redux de sole nouos non colligat ignes,  
 Nec de fonte cadat riuus, & amnis eat;  
 Flosque cornam nullus viduam caput induat herbã,  
 Et fluat erbandis vix rosa nata rubis:  
 Inuideatque meri roseos sibi Bacchus honores,  
 Inuideat spicas & sibi nuda Ceres.  
 Nunc suus, ah! MARIAM liquit (quis credat?) IESVS:  
 Nunc fit, quod fieri posse negabis opus.  
 Heu! quid adhuc memor vsque recurfat imago doloris?  
 Non MARIA, id MARIÆ visa sed vmbra queri est.  
 Incipe iucundos chorus Aliger ille canores,  
 Cui mea de partu gaudia plausus erant.  
 Ante salix pinguem nunc induat vber oliuam,  
 Omnis & ad virides floreat vimus aquas;

Vltus

(a) Rebecca filium suum Iacobum e Mesopotamia reducem summo cum gaudio recepit :

(b) Sic anna suum Tobiam ;

(c) Et Iacob suum Iosephum Aegypto dominantem postliminio recepit.

### ELEGIA XXIV.

B. Virgo palmæ, & Ioseph citri ramum depangit humi ad templum, in signum reperti inibi Pueri.

1. Amor diuinus monet aduenas, quod viderit uti B. Virgo palma, & Ioseph citri surculum seuerit.
2. B. Virgo implicat fronde utriusque surculi annulum aureum, quem columba adfert e caelo.
3. Notum & omen Amoris utrique arbori, & coniungi.

Quisquis ades, Solymâ pietas quæ sistit ad arâ, (a)   
 Annue, frondosas dum struit umbra casas,   
 Accipe dicta memor, memor adspice conscia veri   
 Omina, felici quæ modò fronde virent :   
 Vidi ego, dum virides densant umbracula scænas,   
 Et memor Arabicæ frondet imago viæ.   
 Virgo pium læto palmæ de termitè donum,   
 Quod tulerat dextrâ, pubere panxit humo ;

Ipse sacrae citrum vir & adfexit ilico palma,  
 Cui miscet socias adfita citrus opes.  
 Inde repens (memini) subitros mirabar honores;  
 Qui stetit inuis humi surculus, arbor erat.  
 Fors aliquis quæret; Solymiam cur frondet ad aram?  
 Non alio poterat sylua virere solo?  
 Conferit hoc sponsæ pietas Sponsæque virerum,  
 Nubat ut æquæ palma marita citro.  
 Quin & Virgo viri pulchris comes addita curis  
 Implicat alternum coniuge fronde nemus;  
 Tortilis æternum geminus quò ramus in orbem  
 Crescat, & æterni pignus amoris alar:  
 Tortilis implexos hic implicat annulus orbis,  
 Sanxit inabruptam casta columba fidem.  
 Exin Virgo parat casto transcribere Sponso  
 Munus amans, Sponsa quale reposit hymen.  
 Iosephumque suum folijs inscribit & auro,  
 Quem legat antiquis fama superstes auis.  
 Arbor uti crescat, Iosephus in arbore crescat;  
 Par **MARIÆ** & Ioseph crescat adultus honos.  
 Nupra pares citro sic palma maritat amores,  
 Alteraque alterius palmite ducit opem.  
 Scribe tu à Ioseph citro, palmaque Parentis:  
 Lætitiæ testis palma, citrusque meæ est.  
*Hic Puerum reperit felix cum Coniuge Coniux:*  
*Nuper utrique labor, nunc sed utrique decus.*  
 Dic, quid vis voueam seros pius augur in annos,  
 Virgo tuæ palmæ, siue Iosephe citro?  
 Nunc age felici palmæ par Virginis euum  
 Caste Iosephe tuum, casta **MARIA** tuum.  
 Et quos post geniti seros mirentur honores,  
 Sanciat æternum palma citrusque decus.  
 Obtes erit pignus Puer hanc inuentus ad aram,  
 Ille dabit soles, nec minus imbris aquas,  
 Utque Puer crescit, concors sic crescat & arbor;  
 Quæ memor hinc floret gratia, fructus erit.

Gratius haud quidquam diuis, quam nobile diuisum  
 Munus in oblito ferre referre sinu,  
 Palmæ palmes ager citri cum termitæ consors ;  
 Hinc vt adoptiuas ducat vterque comas.

(a) In Septembre Moses lege cauerat, vt Scenopegia solenni ritu perageretur; quo in festo texebant casas frondeas & umbracula, in memoriam peregrinationis in deserto Pharao sub tabernaculis: item palmae & ligni pulcherrimi, id est, citri ramos manu praeferebant.

An autem in Paschate, an vero in Scenopegia Puer amissus fuerit, non liquet; esto plerique malint id in Paschate euenisse.

## ELECIA XXV.

### Pueri in patriam reditus.

1. Puer cum Matre redit in Nazareth ad cuius appulsum omnia nouam in faciem mutantur, & miro gaudio gestiunt.
2. B. Virgo & Ioseph omnem honorem Pueri Deo deferunt.

S Pes fat vbi Solymis incerta pependit ab aris,  
 Iamque refert pleno gaudia summa sinu:  
 Virgo redit, sequiturque pari pede parvus Alumnus,  
 Quaque domum spectat, molle retexit iter,  
 Huius ad adspectum passim Galilæa videres  
 Aura noui pulchras fundere veris opes;

L iiii

Nec

Nec Ierechuntinis Nafarëia cedere syluis  
 Balsama, balsaminus Virginis adflar odor,  
 Iamque vbi, quod nusquã est, omnis fert omnia campus,  
 Hic viret in perris pomus & vua rubis,  
 Nec viret, vt viret herba; nouo sed honore smaragdum  
 Vincit, & it viridi gratia maior humo.  
 Cærulea siqua nitent hic stagna vel æmula cælo,  
 Cæruleis certat pulchrior vnda vadis,  
 Ipse sed hic hilari iam sol adridet Eoo,  
 Grator & puris candida luna genis.  
 Omnis & hic tellus respondet grata colono,  
 Omnis & hic pomus mustea dona vouet:  
 Et nemus omne suas iam fructibus induit umbras,  
 Primæui facies orbis amœna redit,  
 Appulit hæc inter tugurii breue limen IESVS,  
 Frons cui sidereas lucet vt æthra faces,  
 Huc vbi deuenit Mater, tum cætera reddit  
 Præmia, diuinus qualia poscit Amor,  
 Se pulchro accingit tum pulchrior inde labori,  
 Sicque hilari vultu sedula Mater ait:  
 Vix propiore gradu limen delibo, suavis  
 Adflar odor Gnati; suspicor esse rosas,  
 Quas sibi de spinis decerpfit, & ipse Parentis  
 In viduo liquit, dum fugit inde, sinu.  
 Nunc autem quò iusta meo mensura dolori  
 Adfluat, alma noua gaudia sorte refert.

ELEGIA

## ELEGIA XXVI.

Trinmphii speciem B. Virgo Filio  
suo adornat.

**P**lchrior Isacio quo non fuit orbe triumphus,  
 Nunc Nazarenis ibit agendus agris.  
 En, picturatis se discolor agmen in alis  
 Agglomerat, festis accinit æthra modis.  
 Solis & ipse nouus solennes splendor honores  
 Adstruit, illustri crescit honore decus.  
 Nec minor ex imis responder gloria terris,  
 Ab superis didicit, quod canit illa, lyris.  
 Huc, myrti & lauri dum frondibus implico postes,  
 Si Ioseph violas adijcit, addo rosas.  
 Quin etiam statuo geminas in limine palmas,  
 Huc iter inspergent mista ligistra crocis.  
 Sponte suâ veniunt faciles ad limina lauri,  
 Quas Puer, Orphæa ceu chely, voce trahit.  
 Nec deerunt cytharæ, quales tibi, Bethla, sonabat  
 Ille chorus, cui dat plectra choragus Amor.  
 Tunc erit, vt spectem felix cum Coniuge Coniux  
 Gaudia sidereas inter habenda lyras.  
 Tunc & ego dicam; tellus nunc consona cælo  
 Succinit, & paribus plaudit vt æthra modis:  
 Ipsa præibo tamen numerosque, modosque magistros,  
 Quos, memini, Bethlæ me docuere chori.  
 Isacijs MARIÆ pia si lyra præcinit armis, (a)  
 Et MARIA hæc mediâ gaudia pace canet.  
 Ergo canam IESVM: reliquus precor accinat orbis,  
 Plectra terat plectris erudienda meis.  
 Omnis ager resonat, resonat lucus omnis IESVM;  
 Et resonat IESVM iam nemus omne meum.  
 Et quis non resonat mihi mons, aut campus IESVM?  
 Quo non monte cadens riuus in arua sonat?

L V

Quâ non



Quâ non rupe, specuue sonat meus ardor, IESVS ?  
 O vbi non IESV terra, salumque canit ?  
 Et quid ni resonent, quod condidit omnia, Verbum :  
 Omnia ab hoc Verbo dic didicisse loqui.  
 Quippè diu si terra silens celauit Alumnum ;  
 Hoc scelus vt redimat, gaudia nostra sonat.  
 Idque vbi longinquis quem mœsta sequebar in oris,  
 Iam puerum matri reddidit æquus Amor.  
 Sic Amor eterno concors responder Amori ;  
 Par MARIÆ, & IESV sors cui fructus erit.

(a) *Maria soror Moſis, ſubmerſa Pharaone in  
 mari, duxit choros triumphales.*

F I N I S.

## C E N S U R A .


**C**Um voluptate legi plurima præ-  
clara Poëmata, quæ R. P. Baldui-  
nus Cabillianus è Societate IESV, Vir  
Eruditissimus, sacræ Poësis amatori-  
bus proposuit. Cum illis Ince dignas  
censeo has Elegias piè doctæque dua-  
bus partibus conscriptas, in quarum  
alterâ conspicitur *Agar secundo Exul*  
absque exilio doctorum & humanio-  
rum Virorum consortium sollicitare:  
in alterâ *Christus duodennis amissus* & tan-  
dem *reperitus*, ad suum suæque Marris  
amorem & cultum castos omnium,  
maximè iuuenum, animos inuitare.  
Ideo vtiliter excudantur. Antuerpiæ  
13. Nouemb. 1642.


*Gaspar Estrix Libr. Censor Ant-  
uerpiæ Canon. & Plebanus.*

FACULTAS  
R. P. PRÆPOSITI  
PROVINCIALIS.

**E**go iascriptus Societatis IESV  
Præpositus Provincialis in Provincia  
Flandro-Belgica, potestate ad hoc mihi factâ  
ab admodum R. Patre nostro Mutio Vitellesco,  
Præposito Generali eiusdem Societatis,  
concedo Cornelio Conestenio, Typographe  
Louaniensi, Facultatem Typis mandandi Li-  
bellos duos Elegiarum; quorum alteri titulus  
est: Venatio sacra, siue Puer amissus;  
alteri verò: Agar secundò Exul. Auctore  
R. P. Balduino Cabilliano Iprensi Societatis  
nostræ Sacerdote. In quorum fidem has manus  
nostras subscriptas solito officij nostri sigillo mu-  
niri curauimus. Datum Bruxellis V. Kalend.  
Iul. M. DC. XLII.

Andreas Iudoci.





De S. Joanne  
et B. Virgine

Th  
5853